



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opera Varia

Noris, Enrico

Lugduni, 1707

Apologia Monachorum Scythiæ ab Anonymi scrupulis vindicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72494)

DISSERTATIO II. APOLOGIA MONACHORUM SCYTHIÆ

Ab Anonymi scrupulis vindicatur.



Atis superiori dissertatione demonstratum arbitror, undè controversia de uno ex Trinitate primùm emerferit, quantivse insignium Virorum disputationibus discussa fuerit, priusquam ab Apostolicâ Sede in fidei canones referretur. Sequitur, ut à vetustioris ætatis contentione ad excitatas ejusdem ætatis occasionem, nostro tempore accusationes stylum convertam. Nam Heterodoxi variatæ eâ in causâ sententiæ Apostolicam Sedem per calumniam insimulant. Præterea nescio quis Anonymus in quorundam scrupulorum pagellis Henricum Noris ab Monachos Scythas ab Eutyhianæ hæreseos notâ vindicatos, Romani Pontificis in rebus fidei definiendis, infallibilitati obnoxium facere pertentavit, quod ipsum alter vano licet conatu, fuerat antè molitus. Quamvis autem ex descriptâ proximè ejusdem controversiæ historiâ, universa accusatio non tantum infirmata, verum etiam exarmata prorsus, ac contrita appareat, induxi animum Sedis Apostolicæ eâ in causâ infallibilitatem necâ Romanis Pontificibus læsam, nec eandem à Norisio vel minimâ quapiam ratione perstrictam ostendere. Et primum quidem jam satis superque in præmissâ totius controversiæ narratione ita explanatum est, ut nullis planè salebris asperari posse videatur. Hinc prius illud breviori quidem sed solidiori operâ exequar; dein præstitam à Norisio istdem Monachis Scythis advectionem, ab objectis à quopiam Anonymo scrupulis vindicabo.

C A P U T I.

Felicis III. ac Hormisdæ de thesi: Unus è Trinitate passus est, sententia referuntur. Ecclesia aliquas propositiones, imò & verba æquivoca in diverso sensu modo approbavit, modo rejecit. Propositio: Una natura Dei Verbi incarnata, in sensu Eutyhianorum damnata; in sensu S. Cyrilli approbata. Synodus V. ac Justinianus in edicto contraria Capitula, duplicem illum sensum disertè distinguunt. Nulla inter Hormisdam, & Joannem II. contradictio circa thesim: Unus è Trinitate passus est. Ecclesia Capitula Theodori Mopsuestiensis in sensu ab auctore intento damnavit. Professio fidei Vitalis Apollinaristæ ob diversos sensus prius probata, dein damnata à S. Damaso Papa. Cyrillus in sensu Catholico illam accipiens, Vitalem inter Catholicos Episcopos haud rectè recensuit. Pelagiani propositionum æquivocarum callidissimi inventores. Varii errores Auctoris Prodromi Velitaris circa propositionem: Unus è Trinitate &c. à Monachis Scythis defensam, refelluntur.

Cetera inter argumenta, quibus Heterodoxi Apostolicæ Romanæ Sedis infallibile in controversiis fidei definiendis iudicium oppugnant, va-

lidissimum illud arbitrantur, quod gesta in celebri quæstione, de uno ex Trinitate carne passo, suppeditare videntur. Cùm enim Hormisdas Monachos Scythas eam propositionem defendentes, tanquam pro-cacis verborum novitatis assertores acerrimis literis perstrinxisset: & ex adverso Joannes II. eam thesim & à sanctis Patribus usurpatam, & Catholicæ fidei conformem postea declaraverit, haud mediocri solertiâ, & non vulgari studio ac artificio opus esse putant, ad ostendendum, uti loquitur Forbeseus lib. 3. Instruct. Historico-Theologicarum cap. 16. *non pugnare inter se adversis frontibus ista duorum Pontificum cathedra lia responsa.* Verùm hæc per calumniam malitiamque objici, ex præmissâ totius causæ descriptione, intelligimus. In primis epistola Hormisdæ, in quâ vim faciunt quàm maximam, est privatum Pontificis rescriptum, non ut illi dicunt, *cathedrale responsum*, hoc enim à Pontifice præviâ privati consilii consultatione depromitur. At Hormisdas nunquam eam controversiam in examen vocavit, quod suorum prius Legatorum adventum expectabat. In eâ verò epistolâ nec verbum quidem de illâ propositione facit, sed Monachorum in semel susceptâ sententiâ defendendâ, impetum, ferociam, malasque artes percellit. Maxentius palàm affirmat notum omnibus esse, *quod Monachis responsum quærentibus Romanus Episcopus dare omnino distulerit*, ut Dissert. I. cap. 8. adnotavi. Et sanè cùm postea Anatolius Romanæ Ecclesiæ Diaconus eâ de propositione Ferrandum per literas consuluerit, palàm fit, nihil de eadem Hormisdam antè definivisse. Idem Ferrandus Diaconus nihil antè Joannem II. à Romanâ Ecclesiâ eâ in causâ definitum fuisse testatur in literis ad Severum Scholasticum, quod ipsum ex tot laudatis Justiniani epistolis confirmatur. Hormisdas vocum novitatem exprobravit, quod insueta esset apud Latinos ea loquendi formula, ut prolixè præmonstratum est.

His tamen obstare videtur, quod Hormisdas epist. 79. ad Imperatorem Justinum argumentum producit, quo probat ex illa thesi: *Christus est unus è Trinitate*, sive: *Unus de Trinitate passus est*, inferri tres Deos, aut naturam divinam in seipsâ esse passibilem; uti in proximâ dissertatione historicâ cap. 8. observabam. Imò S. Felix III. Epist. 3. Petrum Fullonem increpans, ait: *At verò tu in Ecclesiâ ausus es dicere, quod unus increatæ atque individue Trinitatis passionem subiit: ac per hoc consubstantialem quoque solvere niteris, ac Deum subijcere numero.* Et rursus: *Neque Deorum pluralitatem confirmare pergas dicens, unum sanctæ Trinitatis mortuum esse.* Ex his damnata videtur laudata propositio: *Unus è Trinitate passus est.*

Henricus Noris in Vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 2. propositæ difficultati hisce planè verbis respondet: *Rursus sciendum est, aliquas propositiones æquivocas modò ab Ecclesiâ rejici, modò approbari. Hoc ostendimus lib. 2. Hist. Pelagianæ cap. 20. de illâ propositione:*

sitione: Unus è Trinitate passus est, quam Hormisdas rejecit; at Ioannes II. Vigilius, ac Synodus V. ut Catholicam definiuerunt. Etenim in sensu Eutythianorum damnata fuit, quasi Verbum in naturâ divinâ passum diceretur. Quæ de eodem argumento differens prædicerat Christianus Lupus insignis Doctor Lovaniensis in notis ad Canonem X. Synodi V. pag. 597. & antea Cardinalis Baronius ad annum 533. scripserat, nunquam eam sententiam ab Hormisdâ fuisse rejectam tanquam hæreticam, sed proscriptam ut novam atque suspectam, ne sub eâ Eutythianorum fraudes occultarentur. Cæterum Bruno Neusser in prodromo Velitari par. 1. cap. 3. Norisii sententiam irriori stylo configens, ac passim rhetoricatus, clamat: *Error est,isque capitalis, & heresis perniciosissima, quæ nunquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt: sed trecenti octodecim nuper receperunt.* Illi enim in Synodo Antiochenâ vocem *Homousion* in sensu Pauli Samosatani rejecerunt, quam in sensu Catholico Nicæna Synodus consecravit. Latina Ecclesia vocem *hypostasis* diutius averfata est, quam Græci Patres tanquam Catholici dogmatis contra Sabellium expressivam invexerant. Nomen *Christipare* antè Nestorii heresim nullâ latentis erroris labe suspectum erat, quod tamen in sensu hæretico Synodus V. canone VI. proscriptit, *tanquam si Christus Deus non esset*, ut ibidem exponitur.

Plurimæ autem produci possent propositiones æquivocæ, quæ juxta unum sensum damnatæ sunt, juxta alterum verò ab Ecclesiâ approbatæ. Paucas easque insigniores laudabo. Celebris fuit Cyriali propositio à S. Athanasio antè tradita: *Una natura Dei Verbi incarnata.* Hanc S. Cyrillus laudat in epistolis ad Eulogium, ac Successum Diocæsariensem in Isauriâ Episcopum, in libro ad Reginas, & alibi. Eutythiani præcipuum hæreseos fundamentum in memorato S. Cyrilli asserto collocarunt, ad quod à Catholicis oppugnati, velut ad aream & propugnaculum confugiebant. Dioscorus in Act. I. Synodi Calchedonensis, Eutythetis errorem sustinens dixit: *Ego autem testimonia habeo sanctorum Patrum Athanasii, Gregorii, & Cyrilli in multis locis, quia non oportet dicere post adunationem duas naturas, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Felix III. Pontifex in Epist. 3. errores Petri Fullois resellens, ait: *Unam naturam Verbi Dei incarnatam, corpusque Domini sine animâ & mente, Apollinarius heresim roborat.* Hinc Orientales Episcopi Cyrillo Apollinarius hæreseos notam inurebant, hæc eodem ad Successum scribente: *Quia verò omnes Orientales putant nos Orthodoxos Apollinari opinionem sequi &c.* Cæterum Cyrillus in laudatâ ad Successum epistolâ congruum ejus propositionis sensum exponens, ait: *Si enim dicentes unam naturam Verbi tenuissemus, non adjicientes Incarnatam, &c.* ubi unius in Christo naturæ se assertorem videri potuisset faneur, nisi addendo *incarnatam*, alteram se pariter naturam Verbi Dei naturæ hypostaticè conjunctam asserere demonstrasset. Verbi enim natura erat ab æterno: sed non erat ab æterno incarnata, sed quo tan-

tum tempore humana natura in unitatem suppositi à Verbo suscepta fuit; ut palam ea propositio duas in Christo naturas exprimat, & non unicam, uti Eutythiani pessimè interpretabantur. Hanc Cyrilli expositionem laudans Joannes Patriarcha Antiochenus in epistola ad Theodoretum, quæ num. 86. tom. 1. Variar. Epist. à V. C. Lupo editarum, legitur, ait, *Expulsus est enim clarè ab epistola ille adulterinus sensus unius naturæ, imò potius languor; & confessa quidem est differentiam naturarum.* Itaque ea propositio in sensu Dioscori & Eutythianorum est hæretica: at juxta S. Cyrilli interpretationem est Catholica. Utrumque sensum disertè distinguit Synodus V. can. VIII. *Si quis &c. unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic eam excipit, sicut Patres docuerunt, quod ex divinâ naturâ & humanâ, unitione secundam subsistentiam factâ, unus Christus effectus est, sed ex talibus vocibus unam naturam, sive substantiam Deitatis & carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit.* Eandem thesim juxta duplicem intelligentiam ad omnem æquívocationem tollendam, Canon considerat. Illam S. Flavianus inseruit professioni fidei ad Imperatorem Theodosium transmissæ, & legitur cap. 5. in præmissis Synodo Calchedonensi, & hæc ipsa Synodus Act. I. eandem professionem sibi lectam, approbavit. Eutythiani tamen ab Orthodoxis convicti, eò tandem devenere, ut affirmarent, ex Deo Verbo & naturâ humanâ unitis, tertiam naturam resultasse, uti fit in homine, qui reapse est una natura completa ex duabus partialibus naturis, animâ nempe & corpore composita. Juxta hunc hæreticum sensum Eutythiani famosam illam S. Cyrilli propositionem, veluti festæ tesseram, jactabant, quos validè confutat S. Anastasius Sinaita in libro, cui titulus, *Vie Dux* cap. 23. quod inscribitur: *Contra Severianos, alia explicatio & solutio dicti illius: Unam divini Verbi naturam esse incarnatam.* Hoc Cyrilli effatum suo contra tria Capitula edicto Justinianus inseruit: *Et hoc, inquit, quod dictum est ab ipso: Unam naturam Dei Verbi incarnatam suscipientes &c.* ubi sensum etiam hæreticum disertè ex eodem Cyrillo explodit. Eandem thesim S. Martinus Papa, & Martyr approbavit in Synodo Lateranensi canone V. Ex his patet unam eandemque propositionem iisdem omnino vocibus expressam, in uno sensu ab Ecclesiâ damnari; in alio verò diverso reprobari. Videtis plura apud Petavium lib. 4. de Incarnat. capite 6. & 7. & Thomassinum Dissert. XIX. in Synodos num. 51. ubi ait: *Ambigua est ad virumlibet, & versatilis textura vera verborum.*

At inquit Neusser num. 6. Ecclesia ubi aliquam propositionem probat tanquam Catholicam, vel damnat uti hæreticam, eam semper in proprio & nativo verborum sensu considerat; cum autem obvius ac proprius propositionis sensus sit tantum unicus, nulla unquam propositio in uno sensu ab Ecclesiâ damnari potuit; eademque in altero tanquam Catholico definiti. Hic Scriptor univocas propositiones cum æquivocis confundit. Ecclesia univocas propositiones, quarum unicus tantum est sensus, probat, si veræ sint; sin verò falsæ, condemnat. At si propositiones sint æquivocæ, ac duplicem sensum patiantur, quorum unus sit Catholicus, alter hæreticus, Ecclesia easdem in sensu recto adprobat, & in falso proscribit. Facundus Hermianensis lib. 10. de tribus Capitulis cap. 4. ait: *Nam & multa sicut sentimus, eloquimur; & multa non sicut à nobis proferuntur, ita suscipiuntur ab aliis.* Propositio illa Cyrilli ab Apollinario antea enuntiata fuerat, erat- que

que diversorum sensum capax, quorum alter Apollinarii erat hæreticus: alter Cyrilli Catholicus, quos sensus non ipsa verborum textura, sed proferentium intentio faciebat. Primum veluti quid materiale propositionis, alterum veluti formale consideratur. Hinc Synodus V. utrumque sensum distinguens, eum probat quem *Patres docuerunt*; ita ut non ab ipsis tantum verbis verus sensus acceptus fuerit, sed ab intentione Patrum, in qua nulla fuerat æquivocatio. Præterea propositio: *Vnus de Trinitate passus est*, ambigui sensus erat ob vocem *vnus*. Hæc vox cum sit prædicatum transcendens, juxta propriam, obviam, ac nativam significationem potest convenire tum essentialiter, tum etiam cuilibet personæ divinæ. Jam vero si *Vnus* accipiatur essentialiter, uti intelligebatur ab Eutychanis, memorata propositio est hæretica. Sin autem intelligatur personaliter, eadem est Catholica. Vox illa solitariè prolata utpotè transcendens, utriusque ex æquo sensus est capax. At juncta propositioni, unicum tantum sensum formalem subit. Quare cum vox *vnus* in laudatâ propositione ab Eutychanis essentialiter perperam intelligeretur, jure eam thesim Felix III. ac Hormisdas reprobaverunt, quod inde vel pluralitas Deorum inducebatur, vel ipsamet divina natura passibilis in seipsâ perperam dicebatur. At in illâ propositione vox *Vnus* personaliter, sive pro divinâ personâ usurpata, Catholicum sensum habet, in quo à Joanne II. approbata fuit. Et sanè Pontifex in Epist. 3. ad Senatores definit: *Vnum ex sanctâ Trinitate Christum esse, hoc est, unum de tribus S. Trinitatis personis sanctam esse personam sive substantiam*. Quo altero dicto omnem ab eadem propositione ambiguitatem amovit; significans unum intelligi de personâ, non autem de essentia divinâ, quæ sinistra erat Eutychanianorum intelligentia. Cum sexaginta capitula ex libris Theodori Mopsuestiensis Episcopi oblata fuissent Vigilio Papæ, ut eadem anathemate condemnaret, Vigilus in Constituto eadem proferens, passim verba *videtur adstrui* inserit; & ad cap. 56. ait: *Quæ verba si eâ intentione dicantur; & post cap. 60. Et quoniam*, inquit, *præfata dogmata, quæ secundum intellectum de his expositum, anathemati & damnationi subiectionis &c.* Quas determinati sensus restrictiones adducens, non obscure indicabat, alios eoque Catholicos sensus memoratis Theodori capitulis potuisse superinduci, quos reapse iisdem circumpositum laudatus Facundus aliique trium Capitulorum defensores. Et sanè Facundus lib. 10. cap. 4. ultro concedens, quod probatum Synodo fuerit illa Theodori esse capitula: unde, inquit, *certum haberet quâ fuerint intentione prolata?* Horum tamen benignas, sed ab intentione Auctoris prorsus alienas, interpretationes Synodus V. ac universa postea Ecclesia Catholica rejecit, Theodori non tantum libris, verum etiam personâ ejusdem damnatis. Quo planè judicio totius Ecclesiæ consensu confirmato, demonstratur, Ecclesiam in damnandis propositionibus in sensu ab auctoribus intento, non errare, neque latum ab eadem semel judicium, posse retractari; siquidem oppositum affirmantes, Apostolica Sedes damnavit, uti patet ex epistolis Romanorum Pontificum, qui proximè Synodum V. consecuti sunt, uti pluribus ostendit Norisius in Dissertatione de Synodo V. cap. 9.

Vitalis Apollinaristarum, apud Antiochiam Episcopus, communionem cum Romanâ Sede impetraturus, Romam transmittens, libellum fidei S. Damaso Pontifici obtulit, ac verborum ambiguitate usus, suam eidem facere tentavit. Nam cætera inter fate-

batur Christum fuisse perfectum hominem ex carne, animâ, ac mente compositum. Cyrillus in libro ad Reginas cap. 10. recitans testimonia sanctorum Episcoporum, quibus Nestoriana hæresis confutabatur, ea inter recenset memoratam professionem fidei Vitalis, cum titulo: *Vitalis Episcopi, ex sermone de fide subij autem hæc leguntur: Si quis dixerit Dominum ac Salvatorem nostrum, qui ex Spiritu sancto, & Mariâ virgine secundum carnem natus est, animâ, aut mente, aut ratione, aut sensu destitutum esse, anathema sit.* Apollinarius initio animam, postea verò mentem in Christo fuisse negaverat, asserens Verbum divinum animæ ac mentis vicem supplevisse. Hinc cum Vitalis palam profiteretur fuisse in Christo animam, mentem seu rationem, ac sensum, Catholicæ veluti doctrinæ assertor in communionem à Damaso receptus, literas etiam ab eodem ad Paulinum Patriarcham Antiochenum accepit, cui tanquam Catholicus commendabatur. Hac eadem arte S. Gregorio Nazianzeno imposuit. Verum ubi Antiochiam reverfus, asserbat se vocibus *anima ac mentis* ipsummet Verbum divinum intellexisse, quod vicem animæ ac rationis in Christo gerere contendebat, Damasus non modò Vitalem, verum etiam ejusdem libellum fidei abs se antea probatum, damnavit. Rem hæc enarrat idem Gregorius Nazianzenus Epist. 2. ad Cleodonium: *Quoniam igitur eadem voces si rectè intelligantur, cum pietate conjunctæ sunt; si perperam exponantur, impietate non carent; quid mirum si Vitalii quoque verbanos quidem, ita suadente voluntate, in pium sensum accepimus &c.* Quod etiam in causâ fuisse reor, cur ipse quoque Damasus, cum postea rectè edoctus fuisset, simulque in pristinis eos expositionibus perscrutatus fuisset, eos ab Ecclesiæ cætu abdicavit, fideique libellum cum anathematismo deleverit; tum etiam quod fraudem eam, in quam per simplicitatem inciderat, permolestè ferret. Ita libellum fidei, sanam aliàs doctrinam præferentem juxta proprium & obviu verborum sensum, at ex intentione Vitalis hæreticam intelligentiam occultentem, proscidit; quemadmodum, inquit Vir eruditus, innocuæ silvæ excinduntur, quod tutas latronibus latebras præbeant. Hinc Cyrillus nihil non Catholicæ fidei consonum in eo Vitalis libello adnotans, sed sinistram verborum sensum auctoris ignorans, Vitalem inter sanctissimos Episcopos recensuit, quod illi postea exprobravit Nestorius in Epistolâ ad Scholasticum Eunuchum, quæ cap. 15. legitur inter epistolas Patrum editas à V. C. Lupo. Hic tamen error Cyrilli memoratum libellum nobis servavit, ejus uti nusquam alibi descriptio legitur, ita Ecclesiasticæ Historiæ professoribus latuit.

Nemo ignorat Pelagianos æquivocarum vocum, ac ambiguarum propositionum versutissimos architectos, erroneos sensus verbis in speciem Catholicis incurtasse, ita ut ipsi penè Augustino fucum fecerint. Eâ arte Pelagius in Synodo Palæstinâ Catholici dogmatis professor judicatus fuit. Hinc Sanctus Doctor in Libro de peccato Orig. cap. 16. Pelagii vafritiem acutè perstringens, unâque Patres Synodi excusans, ait: *Quando tibi illa damnanda objiciebantur, non ea Catholici Episcopi sic intelligebant; idè cum illa damnantes, Catholicum te esse credebant. Propterea ergo quod te illi sapere existimabant, absolvendum fuit; quod verò tu sapiebas, damnandum fuit. Non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuisti; sed illud absolutum est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es sentire laudanda, cum te iudices non intelligerent, occultare damnanda. Videtis eundem Sanctum*

Docto-

Doctorem in Libro de Gratia Christi cap. 2. & 33.

Cum Pelagius ac Cœlestius causam iterum à Zosimo Papa retractari impetrassent, uterque est unus è Trinitate. Ferrandus Diaconus Epistolam ad Severum hinc exorditur: *Magnorum virorum mihi negotium conaris adjungere, propter eos qui Deum nostrum Jesum Christum negant, unum esse de sancta & indivisa Trinitate.* Idem tradunt Joannes II. Pontifex, Maxentius, Dionysius Exiguus, ceterique qui eâ ætate de eadem controversiâ scripserunt, quorum testimonia laudato loco produxi.

Progreditur Neusser: *Quid, amabo, disertius contra Scythas scribi potuit? qui unum de Trinitate passum volebant simpliciter, non premisso nomine D. N. Jesu Christi.* Iterum errat. Nam Justinianus de isdem scribit: *Quidam asserunt Christum Filium Dei &c. uti proxime ostendi. Monachi in libello fidei: Si quis, inquit, non acquiescat, confiteri Christum unum de Trinitate etiam cum carne propria, qui pro nobis passus est in carne &c. Denique Maxentius in fine Dialogorum ait: Nec ego te unquam aliud aliquid, quam hæreticum judicabo, qui Deum Verbum D. N. Jesum Christum qui pro nostra salute passus est carne, unam esse ex sancta & indivisa Trinitate non approbas.* In Monachos Christi nomen præmittentes, fecus ac aculeator fugit. Ille tamen errores addit, auget, accumulat. *Et manifeste, inquit, colligitur ex Maxentii responsione, in qua fatetur Christum Verbi personam non habere, sunt ipsissima ejus verba: qui autem non Dei Verbi personam Christum habere fatentur, nempe Monachi Scythæ.* Imò manifeste colligitur, Neusserum eandem epistolam non legisse, aut saltuatiim fortassis lectam, neutiquam intellexisse. Maxentius eò loci arguit Nestorianos, qui adstruebant Christum ceptæ Deum non esse, sed hominem, Dei tamen personam representantem, ut jam sic vicarius quodammodo, sive minister sit Dei Verbi Christus: non autem ipse Deus Verbum sit Christus, inquit Maxentius. Nam vicarius gerit personam Principis, cum tamen ipse Princeps non sit. Tum addit: *Qui autem non Dei Verbi personam Christum habere fatentur, sed ipsum Deum Verbum Christum credunt, & confitentur, sicut unam personam ex Trinitate, ita & unum ex Trinitate prædicant Christum.* Nec clarius Maxentius loqui potuit, nec Catholice veritati conformius; Nec ille Scriptor pejus quidpiam eidem affingere potuit; siquidem ait, Maxentium nomen *personæ Verbi à Christo excludere*, quum id in sensu Nestorianorum à Maxentio negetur, qui statim manifeste profitetur Christum esse ipsummet Verbum divinum, *unam personam, seu unum ex Trinitate.* In nunc, ac de propositionum æquivocarum sensibus uti lubet, uti libet, disputato; cum interim hic ad eò hallucineris, ut ambigam hanc thesim: *Christus habet personam Verbi*, in sensu Nestoriano à Monachis negatam, in eodem hæretico sensu eisdem assingas, & eo quidem loco, ubi illi juxta Catholicam notionem, laudatam propositionem enuntiant, ac sinistram Nestorianorum intelligentiam consultis ac expressis verbis excludunt. Quis tibi de obvio ac proprio sensu propositionum scribenti fidem præstabit, qui obvium verborum Maxentii sensum tam clarum, tamque manifestum in oppositum prorsus intellectum, notionemque detorquet?

Redeo ad controversiam olim propositionem de uno ex Trinitate passo, ex qua Neusser par. 2. Proromi Velitaris c. 8. contra Norisium accusationem instaurat, sed ad eò infeliciter, ut ne statum quidem questionis intellexerit; quæ tamen in omni judicio principales partes esse censetur. Cum pagina 133. col. 2. dixisset Justinianum hoc dumtaxat inculcasse: *Christum Filium Dei D. N. pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate, debere prædicari*, statim exclamat: *quis unquam hoc negavit?* Hæc scribens & statum questionis ignoravit, & ipsum quod laudat, Justiniani testimonium aut non intellexit, aut se intelligere dissimulavit. Justinianus in Epistola quæ ante 66. Hormisdæ recitatur, hæc ad eundem Pontificem scribit: *Quidam asserunt Christum Filium Dei Domini nostri pro nostra salute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari. Quod si suscipiendum sit paternam provisionem Reverentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur: quoniam verba videntur facere dissensionem; nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur.* Itaque Justinianus scribit quosdam asserere nempe Monachos Scythas eisque adstipulantes, Christum dici debere unum de Trinitate, quod utrum asserendum sit, ut Hormisdas declaret, impensè rogat. At Neusser ait: *Quis unquam hoc negavit?* Omnes, ò bone, qui Monachis Scythis adversabantur, illud negabant. Justinianus dubium illud Pontifici resolvendum proponit; igitur eam propositionem plerique

negabant, quæ de re certissima protuli testimonia Difert. 1. cap. 4. ubi ostendi hanc principaliter controversiam fuisse propositionem: *Christus est unus è Trinitate.* Ferrandus Diaconus Epistolam ad Severum hinc exorditur: *Magnorum virorum mihi negotium conaris adjungere, propter eos qui Deum nostrum Jesum Christum negant, unum esse de sancta & indivisa Trinitate.* Idem tradunt Joannes II. Pontifex, Maxentius, Dionysius Exiguus, ceterique qui eâ ætate de eadem controversiâ scripserunt, quorum testimonia laudato loco produxi.

Cum Neusser Nestorianum sensum cum Catholico Monachorum insigni errore confuderit, hæc statim loquitur: *Distingue, quæso, propositiones, si potis es; nunquam negavit Hormisdas, nunquam Dioscorus, nunquam Possessor, nunquam ullus Catholicus, Dominum N. Jesum Christum esse unum de Trinitate,* pag. 134. col. 1.

col. 1. Quis non miretur, hunc hominem aded imparatum ad causam dicendam accessisse, ut ne illius quidem statum perspectum haberit? Leges testimonia, quæ præclarissima ac invictissima in Dissert. 1. cap. 4. longo ordine produxi, ac, si potises, intellige, omnes qui Monachis Scythis adversabantur, negasse Christum Dominum dici posse unum de Trinitate. Maxentius in responsione ad Epistolam Hormisdæ, ait: *An forte non est Catholicum, Christum Filium Dei vivi unum confiteri ex sanctâ & individua Trinitate?* Pro HAC etenim SOLA SENTENTIA Scytharum Monachos constat ad Romanum fuisse profectos Episcopum, sicut omnibus penè non solum in hac regiâ Urbe, verum etiam in universâ Italiâ Catholicis notum est. Rem tamen notissimam noliter unus homo ignoravit. Hormisdas eam propositionem approbare recusavit, quod insuetâ Latinæ Ecclesiæ verborum formulâ exprimebatur. Hinc idem Maxentius per summam impudentiam Hormisdam arguit: *Qui contentionem verborum, & subversionem audientium iudicat, Christum Filium Dei vivi unum faceri ex Trinitate.* Maxentius eam propositionem admittere recusantes, hæreticos falsò æquè ac contumeliosè appellabat. Et paulò inferius scribit se demonstrare: *Qualiter & cur hæretici, ex quibus unus Dioscorus, unam personam Christum predicantes ex Trinitate, unum ex Trinitate Christum confiteri nullatenus acquiescant.* Denique de Possessore Episcopo idem Maxentius hæc scriperat: *Anbigit nemo, Possessorem, ad quem, & de quo hæc scribit, non solum non confiteri Christum Filium Dei vivi unum ex individua Trinitate, sed adversari eis, qui hoc fiducialiter confitentur, ac infideles & perfidos nefandâ accusare temeritate.* Utri potior fides habenda? Neusser asseverat nunquam Dioscorum, nunquam Possessorem, nullum unquam Catholicum negasse, Christum esse unum ex Trinitate. At Maxentius, qui agitatur id temporis controversiæ magnam in se partem recepit, oppositum apertè ac constanter affirmat. Huic cæteri qui synchroni eâ de questione scripserunt, fidem faciunt, uti laudato loco mihi ostensum est.

Hæc tamen statim Neusser adnectit: *Nunquam etiam negarunt Scythæ esse unam personam Trinitatis, vel unum trium; sed Scythæ dici volebant, unam personam de Trinitate passam.* Pag. eadem 124. Rem non intelligit. Scythæ dicebant unam de Trinitate personam passam esse in carne; sed addebant, ad interimendas Nestorianorum versutias, qui in nomine personæ infidias struebant, securius dici, unum de Trinitate carne passum. At Monachorum adversarii negabant dici posse unum de Trinitate passum, quod inficiabantur alteram propositionem: *Christus est unus de Trinitate.* Erat logomachia, summâ tamen inter Catholicos contentione agitata. Hinc Ferrandus Diaconus, quò motas lites componeret, in Epistolâ ad Anatolium Romanæ Ecclesiæ Diaconum scribit cap. 15. *Omnis ergo Catholicus, aut unum de Trinitate passum simpliciter audiat, simpliciter dicat: aut loquens cautè, non tamen infideliter, unam personam de tribus passam fateatur; nec idèò quempiam iudicet hæreticum, qui unum de Trinitate passum, illo sensu dicit, quo etiam ipse unam personam de tribus passam veraciter dicit.* Eadem tradit Facundus lib. 1. de tribus Capitulis cap. 3.

Denique Neusser hæc scribit: *Hormisdas verò, Dioscorus, imò & Justinianus, cum hanc propositionem: Unus de Trinitate passus est, ab Eutychiâ tanto studio assertam, AMBIGUAM esse viderent, & in EO-*

RUM SENSU omnino HÆRETICAM, illam approbandam esse non putarunt; in CATHOLICO igitur SENSU facile intelligi potest, DIVERSO tamen à SENSU Anastasii Imperatoris, Eutychianorum & Monachorum Scytharum, ac præ cæteris Joannis Maxentii. Ita veritas invito pectore erumpit. An non hæc ipsissima est Norisii sententia, quam tamen tot antè diris devoveras? Cogor hic illam repetere, ut utriusque collatio unâ simul Lectorum oculis hæreat. Hæc ex Norisio recitabas: *Rursus sciendum est aliquas propositiones æquivocas modò ab Ecclesiâ rejici: modò approbari. Hoc ostendimus lib. 2. Hist. Pelag. cap. 20. de illâ propositione: Unus de Trinitate passus est, quam Hormisdas rejecit; at Joannes II. Vigilius, ac Synodus v. uti Catholicam defini verunt. Etenim in sensu Eutychianorum damnata fuit, quasi Verbum in naturâ divinâ passum diceretur. Nec linea fingi potest, quâ utriusque verstrum pronuntiata discriminentur. Ille tradit aliquas propositiones æquivocas in uno sensu ab Ecclesiâ rejici, uti propositio: Unus de Trinitate passus est, ab Hormisdâ rejecta fuit; nempe in sensu Eutychianorum damnata fuit. Tu verò scribis eam propositionem ambiguam fuisse, & in Eutychianorum sensu omnino hæreticam. Ergo illi similiter loqueris; omnis enim hæretica Eutychianorum propositio damnata est ab Ecclesiâ. Ille asserit eandem thesim in diverso sensu eoque Catholico à Joanne II. ac Vigilio approbatam fuisse. Tu concedis eandem in Catholico sensu intelligi posse. In hoc ergo sensu, diverso tamen à sensu Eutychianorum, uti scitè loqueris, ab Apostolicâ Sede probari potuit. Estne ovum ovo, aut lac lacti similis? Hinc aerem verberas, cum magno verborum strepitu clamas eâ Norisii sententiâ Ecclesiæ in dogmate fidei definiendo infallibilitatem oppugnari. Nam nunquam ille asseruit Ecclesiâ aliquam propositionem univocam, in eodem sensu acceptam, modò approbasse, modò damnasse. Verum juxtâ diversam notionem cujuspiam propositionis æquivocæ id de facto contigisse monstravi. Plura in hanc rem exempla addensat V.C. Thomasinus lib. 3. de Incarnat. cap. 24. quod hoc titulo signatur: *Fides sententiis, non verbis trutinanda.* Cum Monachis Scythis à Dioscoro, ac Trifolio objiceretur, thesim de uno de Trinitate passu à discipulo Eutychetis Act. 4. Synodi Calchedonenfis asserit fuisse, Ferrandus Diaconus in laudatâ ad Anatolium Epistolâ cap. 16. respondet: *Patres autem nostri in Concilio positi, sensum loquentis, non verba considerantes, nec illum propter hanc sententiam pronuntiare Catholicum, nec ipsam sententiam Catholicis tunc inserere propositionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis approbasse potius, quam verba. Mirabiliter tamen Spiritus sanctus postea fideles admonuit, etiam per hanc sententiam revinci Eutychianos, in quarum duarum plena est confessio naturarum.* Propositio juxtâ verborum texturam, eadem omnino erat penès Eutychianos ac Catholicos, at alius apud istos sensus, alia apud illos notio atque intelligentia. Verba erant ambigua, vocum contextus versatilis, utriusque pedi recto, ac claudicanti aptus cothurnus. Hinc Dialectici ex Aristotele in Topicis, docent æquivoca prius distinguenda esse, quàm definienda. Quia quamvis verba sint eadem, res tamen significatæ diversæ sunt, uti diversus quoque est earundem in mente conceptus. Contradictio autem est negatio ejusdem de eodem secundum idem, uti loquuntur Logici; neque hæc prolixior considerationem desiderant.*

CAPUT II

Scrupuli contra Apologiam Monachorum Scythiæ ab Anonymo Scriptore induciti, evelluntur.

Prodromi Velitaris, id est, levioris armaturæ militis incursionem contra scriptam ab Henrico Noris pro Monachis Scythiæ Apologiam, eâ præsertim parte repressi, quâ hic lætæ infallibilitatis Ecclesiæ in decretis fidei condendis, reus traducebatur; cumque velitibus depulsis, hastatos, atque etiam triarios pugnam excepturos suspicaret, improvisò nescio quis larvatus ingenti scrupulorum acie stipatus, certamen dudum intermissum instaurat, inclamans laudatam Norisii apologiam Ecclesiæ infallibilitati injuriam esse ac obnoxiam. Enimverò quò institutæ abs se accusationis invidiam declinare videatur, palàm denuntiat, se eos tantùm Romanis Censoribus scrupulos proponere, quibus semet in Norisiani voluminis lectione pungi, ac stimulari perferent. Ita æqui ac modesti animi vir acerbissimam accusationem mitiori scrupulorum nomine incrustat, & quò licentiùs eandem intentet, ut Facundi Hermianensis in Africâ Episcopi lib. 10. cap. 7. verbis utar, *alienorum delictorum scrupulosissimus ac calumniosissimus discussor*, nullis interim conscientia scrupulis perstringitur, dum civilium Magistratum, ac Ecclesiæ decretis contemptis, libellos sine Superiorum permisso, furtivis typis procudere, ac in vulgus quaquaversus spargere non veretur; imò eisdemmet libellos supremis Romanæ Inquisitionis Censoribus nuncupare, id est, in ipsorum iudicium oculos conjicere, tam scrupulosam, quam jactat, modestiam nec piget, nec pudet. Profitetur semet scrupulorum aculeis perstringi: quibus tamen veluti trabalibus telis qualemcunque Norisii ætimationem confodiat, eumque gradu dejectum, in ordinem redigat. Haud tamen animum induxi, magnum studium, multamque operam in rem ex descriptâ superiori Dissertatione totius controversiæ historiâ, clarissimam ac notissimam conferre, ne ferram, ut Tertulliani verbis utar, per eandem lineam frustra reciprocem. Hinc scrupulorum spinas, quibus bonus hic vir se pungi lamentatur, extremis digitis, ordinatim ac diligenter, & ut argumento operis congruentius loquar, scrupulatim evellam, & ne quandoque malo fato repullulent, radicitiùs extirpabo.

§. I.

ANONYMUS.

„**S**edente S. Hormisdæ (fuit hoc initium sæculi „sexti) Scythiæ quidam Monastico habitu Con- „stantinopolim venerunt, illicque tum suæ provin- „ciæ Episcopos, tum verò Catholicos alios hæresis „accusabant, qui nollent ad fidei professionem à „Synodo Chalcedonenfi constitutam, ista verba addere: *Crucifixus est unus de Trinitate*. Tum nar- „rat Monachos à Legatis Pontificiis, & à Patriarcha repulso, Romam perrexisse, ut Pontificiâ auctori- „tate ea propositio professioni fidei adjiceretur. Hormisdas Legatorum è regiâ Urbe reditum oppre- „hendendum duxit, priusquam causa judicaretur. Mo- „nachi diuturnioris in Urbe moræ pertæsi, inde au- „fugerunt. Hormisdas eorum temeritati indignatus,

in Epist. 70. acerrime eosdem redarguit. Hæc illè; recitans testimonia ex laudatis Hormisdæ literis.

RESPONSIO.

Equidè factum scitè describis. At statum præcipuæ controversiæ neutiquam assequeris. Ea autem erat, *num Christus dici posset unus de Trinitate*. Illa altera propositio *de uno è Trinitate Crucifixo*, priorem illam consequetur. Lege caput IV. prioris Dissertationis. Dioscorus Legatus Pontificis in Suggestione, quæ post Epist. 67. Hormisdæ legitur, scribit Victorem Diaconum à Scythis Monachis hæreseos insinuatam, se coram ac collegis, necnon Joanne Patriarcha auditum, qui cum quatuor Oecumenicas Synodos admittere profiteretur, *Scythiæ*, inquit Dioscorus, *è contra inchoaverunt dicere: Addatur & unus de Trinitate. Nos è contra diximus*. Quod non est in quatuor Conciliis definitum, nec in Epistolis B. Papæ Leonis, *nos nec dicere possumus, nec addere*. Interim disce primò illi iudicio Monachos non stitisse veluti reos assertæ eujuspiam propositionis hæreticæ, sed tanquam actores Victorem accusantes. Præterea disce Legatos ac Patriarcham nequaquam eam Monachorum thesim damnasse, sed solummodò recusasse eandem in canones fidei referre, quæ una erat Monachorum instantia & petitio. Scrutare omnia eâ de re antiquitus consignata literis monumenta, nihil insuper eo in iudicio factitatum reperies. Hanc, quæso, brevissimam Judicium sententiam in memoriâ habeto; nam ejusdem postea repetitione graviolem tibi scrupulum evellam.

§. II.

Quid de his senserint nostrorum temporum Scriptores Catholici?

ANONYMUS.

„**E**os Baronius, Norisio teste, appellat Pseudo- „monachos, versipelles, impios, &c. signis „denique haud obscuris, & argumentis minime du- „bitis compertos, ait fuisse Eutychianos hæreticos: „ita tamen ut speciem præferentes Orthodoxorum, „ipsum Eutychetem cum suis sectatoribus oppugna- „re videri voluerint &c. „Bellarminus de Joanne Maxentio Scytharum syn- „cello hæc ait: *Nestorianos ita refellit, ut ad Euty- „chianos declinare videatur*. Addit eadem tradere „Collectores Bibliothecæ Patrum, ac Binium, & „Labbeum pariter Collectores Conciliorum.

RESPONSIO.

Quintilianus lib. 5. Institut. cap. 7. ait: *Aliquan- do utrinque sunt testes, & questio sequitur, ex ipsis veri meliores*. Equidè si compertos habuisses Scriptores celeberrimos, qui Monachos Scythas ab omni Eutychianæ hæreseos notâ absolvent, nullam Norisio disam dixisses, meque tam copiosi scrupulorum lolti extirpandi labore, aut ut verius loquar, fastidio liberasses. Da aures in ditionem meam.

Annus agitur centesimus, ex quo Gabriel Vasquez celeberrimus Theologus, in 3. par. S. Thomæ, disput. 15. de Incarnatione, omnium primus strenuam Monachis Scythis advocationem commodavit. Hæc initio statim capituli 3. præfatur: *Placuit enim rem hanc non obiter, sed accuratè examinare; tum quia ad hæc usque tempora historiâ hæc obscura satis, & Catholicis Viris (quos inter te quoque esse intelliges) partim intellecta fuit*. Vin seire, quam Vir in Patrum lectio-
ne

ne æquã ac in Scholasticã palæstrã versatissimus, sententiam post accurratum examen, pronuntiaverit? Ausculta. *Quod igitur, inquit, attinet ad ipsos Monachos, existimo primum, eos non fuisse Eutychnianos, unam tantummodò in Christo asserentes naturam, aut Deitatem ipsam passam fuisse, cum oppositum in eorum scriptis appareat. Quod cum clarissimè ex eorundem libellis demonstrasset, num. 44. ait: Qua igitur ratione dicemus eos Eutychnianos fuisse? Et num. 63. Rationes verò allatæ cap. 2. quibus Cardinalis Baroniensis contendebat, Monachos illos verè fuisse Eutychnianos, nec iudicio id non probat.*

Christophorus de Ortega alter ex eadem Societate Theologus, disput. 1. de Incarnat. quæst. 4. certam. 1. num. 3. cum dixisset Monachos Scythas, ac Maxentium Eutychniani erroris in tomo VII. magnorum Annalium inculcari, ait: *Enum Maxentium & Scythas Monachos apprime eruditus Theologus Vasquez ab omni ejus heresis suspitione vindicavit. Num homo Gallus Hispanos testes excipis?*

En tibi duo præstantissimi Scriptores, qui Theologiam dogmaticam nullo unquam ævo interituris voluminibus in Galliã illustrarunt. Dionysius Petavius omnium Scriptorum Societatis eruditorum iudicio, princeps, tom. 4. Dogm. Theol. lib. 5. de Incarn. cap. 2. pag. 403. scribit: *Monachos illos Scythas, de quibus cap. 18. libri primi diximus, prorsus Eutychnianã imbutos heresi fuisse, vulgò sentiunt, præeunte magno Annalium Scriptore. Sed qui professiones fidei ab illis editas, ac cætera eorundem scripta, quæ extant, diligenter expendit, nullum ibi vestigium deprehendit heresis illius. Et recitatis testimoniis ex eorundem libellis, ait: Quocirca nihil in illum factò, atque scriptis aliud culpes, nisi inconsultam rationem, ac præcipitem ardorem inculcanda novitatis intempestivã potius, minimeque necessariã, quàm aut callidã aut errore contaminatã. Nam & Hormisdas Papa in Epistola ad Possessorem Africanum Episcopum, nullam aliam notam illis subscribit, præter ipsam temeritatis, novitatis, contumaciæ, ac superbiæ &c. Præclarissimi Auctoris volumina mole prægrandia, eruditione longè majora in doctorem hominum oculis, in ore famæ versantur, in quibus unus tu hospes videris ac peregrinus; neque enim dubito, quin si hæc antea legisses, non omnes statim scrupulos exuisses.*

Quartus testis idemque pariter in Galliã occurrit Ludovicus Thomassinus, tot editis de rebus Ecclesiasticis itemque dogmaticis libris celeberrimus. Hic in Dissert. XVIII. in Synodos, num. 10. scribit: *Quibus autem placebat, unam de Trinitate personam potius, quàm unum de Trinitate, dici Christum &c. ubi Vir eruditus statum famosæ quæstionis exposuit, quem Neusser penitus ignoravit, hæc ait: Porro hinc quoque Hormisdæ sapientia admiranda impensius venit, qui solam novitatem, & surgorum sementem in hac propositione & ejus architectis aperit. Ex Maxentio enim, Ferrando, aliisque ejus ævi scriptoribus explorata sunt prælia tunc inter Catholicos super hac re decernata; utrisque hinc & inde alias ex aliis distinctiunculas, sensuumque minutias comminiscens, & implacata serentibus jurgia. Et paulò post: Observa (tecum loquitur) hic autem hanc inter Catholicos hinc & inde homines exarsisse controversiam &c. Catholicè utrosque de Verbi inhumanatione sensisse, de verbis altercatos esse; cum huic propositioni alii sensus Catholicos illigerent; alii hæreticos subesse suspicarentur; utrisque conveniret de sensibus Catholicis vel hæreticis, de eorum ad hæc verba allegatione dissonant. Est hic liber editus*

Parisiis Anno 1667. sexennio priùsquàm Norisius Pelagianam historiam evulgaret. Nihilne horum duodetriginta annorum spatio, Parisiis intellexisti? Idem Thomassinus de consecratiã quæstione, num. unus è Trinitate passus sit, proluxius scribit lib. 3. de Incarnat. cap. 14. ubi cum utriusque partis, nempe Monachorum Scytharum, & his adversantium rationes discussisset, hæc num. IX. concludit: *Hæc summa est dubitationum rationumque, quæ Catholicos olim perdit in festina dissidia conviciaque asperarunt. Cum enim una fides esset omnium, alii alios tamen ut hæreticos infamabant, quosque ut Nestorianos proscindebant, ab iis vicissim Eutychnianistæ audiebant, non dissidio fidei, sed pacis & charitatis excoidio. Verùm hic nobilis Auctor plura te inferius docebit.*

Produco quintum testem pariter ex Galliã Dubamelium tom. 3. Theologiæ specul. & pract. lib. 2. de Incarnat. cap. 3. ubi ait: *Hujus propositionis, Unus de Trinitate est crucifixus, non videtur subiectum simplex, sed Deus ipse jam homo factus. De hac igitur major olim orta est contentio, cujus auctores fuerunt Scythæ quidam Monachi, iique Catholicos, Justinus Imperatoris & Hormisdæ Papæ temporibus. Audistin' uti Monachos Scythas vocet Catholicos?*

Sextus testis venit ex Lovaniensi Academiã Christianus Lupus, regius ac primarius Professor, qui vastissimæ eruditionis titulo ubique literatarum gentium celebratur. Hic in notis ad Epistolam variorum Patrum, tom. 2. pag. 452. ait: *Etenim Joannis Maxentii ac ejus collegarum contra quosdam Acæmetensis Cænobii fratres acerba de isto articulo, & quibusdam ad eum spectantibus aliis, litigia turbabant omnem Orientalem Ecclesiam &c. Acæmetenses Nestorio, Joannes Maxentius putabatur adherere Eutychneti. Dein inferius cum notasset thesim: Deus est mortuus, à sanctis Patribus assertam fuisse, ait: Ex hoc zelo, non ex Eutychniano spiritu, Joannes Maxentius in suis contra Nestorianos Capitulis scripsit: Si quis dicit, Christum passum carne, Deum verò passum carne, dicere non acquiescit, quod ipsum intelligitur Christum passum carne, anathema sit. Ita vir doctissimus in Maxentio zelum Catholicum nullo Eutychniano spiritu infectum agnovit.*

Exstat Parisiis vetustissimum Cænobium S. Germani à Pratis, Congregationis Patrum Benedictinorum S. Mauri. In hoc scientiarum Atheno viri doctissimi rei Ecclesiasticæ eruditissimis libris illustrandæ, diurnam, nocturnamque operam impendunt. Nulquam in uno agro Ecclesiasticæ eruditionis messis aut lætior, aut copiosior efflorescit. Hos inter laudatur Dionysius à S. Martha, qui nuperrimè nempe anno proximè elapso 1694. vitam Cassiodori Parisiensibus typis edidit. Hic libro II. cap. 4. hæc ait: *Cependant certains Moines Scitbes, QUI ÉTOIENT ORTHODOXES, mais d'un esprit un peu inquiet, s'entendirent du tème de cet Empereur, de faire recevoir cette proposition: Un de la Trinité à été crucifié dans la chair. Cum temet Doctorem Sorbonicum vendites, de Monachis Gallicè restantem: qui étoient Orthodoxes, ullo sinè interprete intelliges, nec opus erit adire Milphium, qui in Plauti Pœnulo tam bellum interpretem agit. Papè, ut hic testis in tempore venit. Cum tu tot scrupulis pagellas illineres, ut Monachis Scythis Eutychnianæ hæreseos notam inureres, ac Norisium eosdem Orthodoxos asseverantem, in crimen vocares, eruditus Scriptor in regiã Galliæ urbe in hac ipsã causã, tam splendide Norisio suffragabatur.*

Aedesum, homo scrupulose, paucis hic te volo. Parvine ponderis tibi videntur septem Scriptorum testimonia, quos inter Petavius, Vasquezius, Thomassinus, ac Lupus? Hic mihi venit in mentem carminum Horatii apud Porphyriorem.

Ciconiarum Rufus iste conditor:

Hic est duobus elegantior Plancus.

Suffragiorum puncta non tulit septem.

Equidem plures poteram testes appellare, & eos inter Doctorem Sorbonicū, qui hanc controversiam summā, qua pollet eruditione, penitus profligavit; sed ne responderes, hanc quoque Norisii sententiam, ab illo adoptatam fuisse, aliorum testimonia produxi. Probè noris testamentum septem testibus obsignatoribus ratum, & omni fide dignum censeri. Putasne, septem Scriptores quorum quatuor magnarum gentium sunt, in questione facti nullam uni cupiam sententiam extrinsecam, uti vocant, probabilitatem admittere? Eorum ergo appende sententias. Nolo esse plures, ut eas te pigeat numerare. Sed non sunt leves, ut eas dedigneris appendere; imò sunt tam graves, ut te videam sub earum onere laborare. Quæ Augustini verba sunt lib. 2. contra Julianum cap. 10. Cur ergo uni Norisio dicam dicis, cui cum tot Scriptoribus est causa communis? Ille longo licet positus intervallo, eorundem vestigia pressit, acceptasque ab illis voces fideli Echo reddidit.

Cum scrupulorum paginula in cista distribuendarum per Urbem Epistolarum, ignorato delatore, reperta, ullo sine portorio (quis enim scrupulos vel semiobolo redimeret?) iis quibus inscripta fuerant, raderentur, unumque illarum exemplar Norisio ab Illustrissimo Viro ostensum fuisset, ille statim calamum arripiens, unum & alteram versum in priori albā paginā scribens, bonum ac simplicem Auctorem ad Vasquezium ac Petavium remisit, qui illi scrupulos evellerent. Hæc ubi Anonymus intellexit, aliam è vestigio scriptiunculam submisit, in cujus titulo signabatur: *Responsio Henrici Norisii, data die 11. Decembris 1694. ad libellum, cui titulus est: Scrupuli Doctoris Sorbonici super Historiā Pelagianā &c.* Si mihi ulla fides, testor Norisium non dico diem, sed ne mensē quidem ejus scripta abs se notula memoriā retinere; neque enim tam facilem responsionem inter memorabilia, aut in diaria privata referri posse putavit. Eoimverò noster homo in eo rescripto Vasquezii ac Petavii testimoniis pressus, huc, illuc se versat, reverfatque, quousque pag. 10. collecto veluti spiritu, hæc summam satur.

A N O N Y M U S.

ERgo ut rem in pauca contraham, hic duæ possunt fieri quæstiones, quarum altera Norisii librum, altera ejus personam; hæc causam ipsius propriam, illa Romani causam Pontificis spectat. Prima, utrūm id quod modò dictum est, necessariò evidenterque sequatur ex Norisii doctrinā? Altera utrūm idcirco vel Auctor, vel liber aliqua nota dignus sit? Quid agit Norisius? De primo solūm interpellatus, ad secundum responderet causam asserens communem sibi esse cum Vasquezio ac Petavio. Atqui non id agebam, ut aliqua nota vel auctori, vel ipsi libro inureretur. Imò nec hoc quidem mea nunc interesse puto, utrūm vera, an falsa sint quæ scripsit de Scythis Monachis; nihilominus an eadem alii antè, vel post ipsum scripserint. Hoc unum veluti, approbato ejus libro,

ut à Censoribus Pontificis & Cardinalibus approbatum accepimus, approbati Cleri Gallicani doctrinam de fallibilitate Romani Pontificis, imò aliquid amplius. Hanc meam propositionem refellat Norisius, & manus dabo. At quādiu non refellerit, quid mea refert, utrūm alios in eadem causam secum trahat? Pag. 10. examinis refert, ad scrupulos.

R E S P O N S I O.

Ratulo, quòd Vasquezio ac Petavio monitoribus, mitiorem ergà Norisium ejusque librum animum induisti. Profiteris te neutiquam contēdisse, ut aliqua nota auctori vel libro inureretur. Quorsum ergo tot tandem scrupuli? Nonne initio statim prioris opellæ pag. 4. contestaberis, abs te ultramontano Doctore Censores Romanos admoneri de iis, quæ summi Pontificis Minister videtur scripsisse in præjudicium sanctæ Sedis Apostolicæ? Quæ si vera fuissent Censores pro eâ fide ac obsequio, quo peculiariter Apostolicæ Sedi obstricti sunt, librum tam perniciosum, ac Pontifici auctoritati injurium unanimi statim sententiâ damnassent. Ciceronis verba sunt in Oratione pro M. Cælio: *Accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, hominem ut noceat, argumento probes, testes confirmet.* An non omnes hæc accusationis partes coram Censoribus contra Norisii librum adamusim implere pertentasti? Crimen est, hæreticos à Patriarcha, à Legatis, à Summo Pontifice, ab Ecclesiâ Orientali & Occidentali damnatos, defendere. Hocce autem est crimen læsæ auctoritatis Apostolicæ Sedis in iis judiciis, quæ ad fidem pertinent. Quæ est ipsa finitio criminis ex Quintiliani documentis lib. 7. Instit. cap. 3. *Tua verba sunt pag. 4. par. 2. Infallibilitatem Romani Pontificis Norisiani assertoribus penitus compelli video mihi demonstrasse.* Porro librum Norisii tanto crimine notas, dum in titulo grandioribus characteribus scribis: **SCRUPULI ORTI EX LIBRO.** Et initio alterius partis, ait: *Seimus nos Censores designatos esse, ac sententiam continud dixisse, quæ dudum accusatus is liber Norisii, ne apice quidem sublato, approbatur, imò summis laudibus extollitur: qui tamen, te censente, Romani Pontificis infallibilitatem convellit.* Quæ autem argumenta proferis non quidem probabilia, sed demonstratioes à priori, ut inquit Logtel, appellas: *Videor mihi demonstrasse. Jactas pag. 7. conclusionem legitimanamque ipsis oculis manifestam.* Pag. 8. *propositiones in antecedenti e videmissimè contentas.* Ita aggeras, aggeris, regeris argumenta firmissima, clarissima, invictissima. Denique tot contra Norisii librum testes appellas, ut eorum verbis paragraphum secundum ac tertium impleas. Qui ergo tam sollicitè ac tam diffusè accusationem contra librum Norisii omnes in partes extenderas, ubi primū didicisti Vasquezium ac Petavium Scriptores celeberrimos eo in judicio Norisio volumini patrocinari, profiteris, non eo consilio abs te accusationem intentatam, ut aliqua nota vel auctori, vel ipsi libro inureretur. Mirus homo es, qui librum accusas, ac nihil de eodem velis iudices decernere. Quid tuis hisce scrupulis à Censoribus postulas? Ut infallibilitas, inquis, Pontificis Maximi in rebus fidei facta tecta servetur. Benè factum. At enim, quæso te, potestne illa illa facta judicari, Norisii libro indemnato? Hoc planè pernegas. Liber igitur censorio stigmatē signandus est, ne quid detrimenti Pontifici infallibilitas ejusdem approbatione pariat. At fortassis ita accusas, ut velis iudices

judices sententiam suspendere, *firmiter*, uti dicunt, *remanente processu*? Næ tam parvi fieri vis in judicio demonstrationes, quas *evidentissimas* contra eam Norisii sententiam remeare producere profitebare, ut nihil apud judices potuerint comprobare? Ridiculus planè ferem, si diutius tuis hisce antilogiis confundendis, insisterem.

A N O N Y M U S.

At negabit Norisius in sua horumq; Theologorum doctrinã contineri tres à me allatas propositiones. Debuerat hoc facere unicum suæ defensionis caput: in id oportebat eum totum incumbere, ut luce meridianã clariùs demonstraret, nihil planè ex sua doctrinã inferri posse contra auctoritatem sanctæ Sedis. Pag. 6. examinis &c.

R E S P O N S I O.

Profectò luce meridianã clariùs demonstrabo, quantum luminis defectum passus fueris in illis propositionibus contexendis, ita ut in scriptis eã de re antiquitùs monumentis nil planè veri perspexeris. Hoc priusquam ostendo, velim abs te rescire, num Valquez, num Petavius, num Thomassinus, qui Monachos Scythas ab omni Eutythiana hæreseos notã immunes pronuntiarunt, subodorati sint, illorum defensione Pontificiam infallibilitatem impeti, ac infringi? Si reapse tantum absurdum, uti putas, inde necessariò consequitur, tardo illi, imbecilli, ac obtuso ingenio, non verò, uti hætenus audiverunt, acuto ac præstanti fuisse dicendi sunt, qui consuetarium illum errorem minime adverterint. Id autem monstrò proprius judicabitur. Nam Petavius Pontificiam auctoritatem contra Salmasium insigni opere propugnavit. Thomassinus verò librum justæ molis in viginti dissertationes digestum, elucubravit, in quo à capite ad calcem pro Apostolicæ Sedis infallibilitate demonstrandã, totis lacertis depugnans, ex rebus in Ecclesiã quinque sæculorum spatio gestis, certissima Apostolicæ Sedis iudicia invictissimè demonstravit. Hæcine tot eo in certamine palmarum pugil, dum Monachos Scythas fuisse Catholicos asseveravit, infallibilitatem Pontificiam convulsit, ac victrices palmas suamet dexterã infregit, eã in causã turpiter prævaricatus, quam tanto studio ac conatu defendendam susceperat? Imò scias Thomassinum acutissimi ingenii virum, ex ipso Monachorum Scytharum factò, & ex ipsã, quòd etiam atque etiam mirere, Maxentii investivã contra Hormisdam, Romani Pontificis infallibilitatem prævalidè demonstrasse. Contrahas licet hominem, ac torvum intuearis, recito testimonium viri doctissimi ex Dissert. XVIII. in Synodos num. 7. *Quanti autem facerent Sedis Apostolicæ oraculum isti Monachi, declarat idem mox Maxentius: Pro hac solã sententiã Scytharum Monachos constat ad Romanum fuisse profectos Episcopum &c. Ergo Constantinopolim Romæ postposuerunt, & tam longi itineris maris quæ tedia pertulerant Monachi, Romæ quatuordecim menses sustinuerant, opperientes responsum, utique ut illi cederent. Quòd ille enim alioqui labor? Plura ibidem eam in rem prosequitur, ac ad oram marginis, quæ tuos oculos feriat, notam apposuit: Maxentius & Scythæ Monachi quanto in pretio habuerint oraculum primæ Sedis. Si Censores te ad tribunal citarent, ac ex adverso sese judicio Thomassinus sisteret, nempe magni nominis scriptor, idemque infallibilitatis Pontificiæ insigni opere defensa famã inclutus; te contra stante, non*

dicam obscuro, sed nullius nominis homine; atque ille è grandiori suo illo volumine graviter æquè ac constanter infallibilitatem Pontificiam à Monachis Scythis insigni factò assertam, ostenderet; tu verò è contra ex tuis istis paucillulis paginulis, quas tamen *primam partem* tomi contra Norisium destinati, nuncupas, *tres propositiones*, inde illas tuas *illationes ac consequentias* objectares, ecquid judices deliberaturos existimas? Hæc tibi permolesta, lepidã quadam narratiunculã mitigabo. Auctor est Valerius Maximus lib. 3. cap. 7. Marcum Æmilius Scaurum virum Consularem, triumpho de Liguribus actò, ac censurã gestã percelebrem, à Vario Suetonienfensi obscuro nominis viro iudicio apud populum postulatam, hisce tantum verbis causam vicisse: *Quirites, Varius Suetonienfensis ait M. Æmilius Scaurum regiã mercede corruptum, imperium P. R. prodidisse. Marcus Æmilius Scaurus huic se affinem esse culpã negat; utri creditis?*

A N O N Y M U S.

Sed videat ipse Norisius quid loquatur. Quantò enim plures erunt talis doctrinæ assertores, tantò prævalebit opinio de fallibilitate Romani Pontificis in materiã fidei. Pag. 5. examinis &c.

R E S P O N S I O.

Imò tu videtis, qui & quæ loquantur; Inde enim disces, quàm fallare infallibilitatem Pontificiam à tot præclarissimis Scriptoribus læsam asserendo. Usque adeo permiscuit inanis summa longus dies, ut unus tu videas, quæ viri eruditissimi acutissimã, quã valebant, oculorum acie penetrare non potuerunt? Agedum audiamus fortissimum, uti semel, & iterum jactas, syllogismum, cujus fundamenta in hæc propositione colloca.

A N O N Y M U S.

Homines quos Episcopi sui, deinde Primas; postea Legati sanctæ Sedis, ipsa demum sancta Sedes, uno verbo Romana simul & Græca Ecclesia, auditis eorum sermonibus, ætisque scriptis, causã omni dudum & accuratè perpensã, unanimes sensu judicaverit hæreticos aut hæresis fautores: tales homines asseri nihilominus possunt non tantum Catholicis, sed & defensores Catholicæ fidei, idque in eo ipso puncto, in quo errasse sancta Sedes & Ecclesia judicaverit. *Hæc ex pag. 4. Responsionis tanquam certa apud Norisium recenset; dein pag. 7. ait: Antecedentis partes singulas probavi tum ipsis Norisii verbis, tum instrumentis authenticis ab eo adductis. Consequentia non solum evidens sed penè synonyma est cum antecedente. Expectabam quid tandem reponeret Vaticanus Probibliothecarius. Primò negaretne Scythas damnatos fuisse primò à suis Episcopis, deinde à Constantinopolitanã Ecclesiã, simul ab Apostolicis Legatis, ab ipsã demum sanctã Sede? At ipse confessus est, & habemus eã de re publica documenta. Pag. 19. & iterum pag. 4. examinis &c.*

R E S P O N S I O.

Hoc est totius accusationis compendium, hæc universæ criminationis summa, hæc omnium scrupulorum medulla. Porrò anceps hæreo, num vigil hæc monstra literis consignaveris; an potius mei me oculi fallant; adeo absurda, falsa, & inania sunt omnia, quæ coram hoc sole evulgare nec pudori

putori nec religioni fuit. Faxo, cæteri intelligant, quos in errores tui te scrupuli præcipitem egerint. Uno hoc tamen laudandus venis, quod nomen occultans, saltem pudori consulueris. Quod verò illa tua propositio in priori tuâ opellâ per partes abs te probatur, eandem sigillatim discutiam, ac majori qua poterò, brevitate refellam.

§. III.

Quid de his Scythis jam olim senserit Ecclesiâ.

A N O N Y M U S.

Primò Paternus Tomitanus Antistes, & comprovinciales Episcopi Scythas primi omnium subodorati sunt, ac cæteris cognoscendos derunt. Ea propter accusati ab iis fuere, velut Nestoriana hæresis fautores. Ili de suâ provinciâ Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ civitatis Antistes. Omnes qui accipiunt Synodum Calchedonensem, Nestorianos dicunt, dicentes non fuisse Synodum contra Nestorium. Suggestio Germani post Epist. 65. Hormisdæ, & Suggestio Dioscori per Eulogium post Epist. 67.

I.

Monachi Scythæ non fuerunt damnati ab Episcopis provinciæ.

NE quaeso graveris, me ductore, adire ad singula quæque Ecclesiastica tribunalia, in quibus Monachos Scythas hæreseos damnatos arbitraris, & quidem tantâ certitudine, ut inde descriptam mihi proximè propositionem citrà omne dubium asseveraveris. Videamus quid in Scythiâ contra Monachos decretum fuerit, quæve de iisdem habita sint ab Episcopis judicia: *Hæc, inquis, scribit Germanus cum colligis Legatis ad Hormisdam: Ili de suâ provinciâ Episcopos accusant, inter quos est Paternus Tomitanæ civitatis Antistes. Petitiones obtulerunt, & coacti præssimi Principis, & Domini Vitaliani Magistri militum iussione, frequenter ad audientiam cause convenimus &c. Intellexistis quid Legati scribant? Ili, inquit, de suâ provinciâ Episcopos accusant.* Ergo, inquis, Episcopi damnarunt Monachos uti hæreticos aut hæresis fautores. Hæc tua acuta est illatio, & necessaria consequentia! Monachi, ð bone, erant actores, Episcopi rei: illi accusabant; isti verò iudicio postulabantur. Monachi petitiones obtulerunt Legatis. Illi ergo iudicium petierant contra Episcopos. Paternus erat Metropolitanus Scythiæ, ac proinde non poterat in jus conveniri nisi apud Patriarcham aut Legatos Pontificios, uti reapse apud eandem fuit à Monachis accusatus. Tu verò actores nutus in reos; idem apud te est accusare, ac damnari. Hæc sanè ratione causam in tuo foro, ac temet iudice absolvisti, Monachis hæreseos condemnatis. Unum habes effugium, videlicet, si dicas Monachos in provinciâ ab Episcopis prædamnatos, ad Patriarcham ac Legatos postea appellasse. Hæc peracta primùm in Scythiâ condemnatio, & hanc subsequuta appellatio, unum te post annos 1174. auctorem habebit, sine ullo teste, sine tabulis, sine ullo peracti iudicii instrumento. Repones te id conjectari ex iis quæ postea Constantinopoli, ac dein Romæ contigere. Itane homo scrupulose, haud religioni duces, ex puris conjecturis, ac vanissimis suspicionibus Monachos uti hæreticos Ecclesiastico iudicio damnatos obtrudere? Præterea Legati scribunt Episcopos à Monachis accusatos; quâ autem de re accusati fuerint, non significant, ut divinationi tantum locus superfit.

Verùm ut accusatio de hæresi iudicetur, verba Legatorum in unâ Epistolâ, & verba unius Dioscori in alterâ in unum testimonium coactas, quo Episcopi à Monachis Nestorianismi postulati esse videantur. Hoc planè est Lectoribus fallacias facere, ac præstigiis illudere.

II.

Monachi non fuerunt hæreseos damnati à Patriarcha.

Quid in iudicio coram Joanne Patriarcha peractum fuerit, narrat Dioscorus in literis ad Hormisdam, quæ post Epist. 67. proximè leguntur. Scribit Monachos contentionem de uno de Trinitate crucifixo: de Christo composito, aliisque Capitulis, cum Victore Diacono habuisse; additque: *Obsulerunt contra ipsam libellum tam nobis, quam Episcopo Constantinopolitano.* Itaque in hoc quoque iudicio Monachi erant actores, & Victor reus. Eo in iudicio, inquit Dioscorus, *Prædictus Episcopus Synodum Calchedonensem protulit: legit ante omnia quæ sunt in eodem Concilio constituta, dicens: Præter ista nihil mihi adhuc dicatur. Qui sequitur ista, potest inter Catholicos esse.* Victor respondit: *Suscipio similiter & Epistolâ S. Leonis, & S. Cyrilli Epistolâ Synodales, quæ sunt in Calchedonenfi Concilio allegatæ &c. Scythæ è contra inchoaverunt dicere: Addatur & unus de Trinitate: Nos è contra diximus: Quod non est in quatuor Conciliis definitum, nec in Epistolis Papæ Leonis, nos nec dicere possumus, nec addere. Displicis hoc dictum.* Habes ejus causæ cognitionem, atque latam in eadem sententiam. Victor professus Synodum Calchedonensem, ab intentatâ accusatione absolvitur, ac Catholicus pronuntiat. Monachi actores reclamant, admittendam pariter esse thesionem de uno ex Trinitate. Instantia à iudicibus non admittitur. Eodem, Amice, in luto hæres. Homo enim litigandi nescius, forensium causarum, ac tribunalium ignarus, iudicia confundit, scribens Monachos à Patriarcha hæresis damnatos. Erras. Illud fuit purum putum absolutorium, non autem damnatorium iudicium, in quo Victor ab illatâ hæreseos notâ absolutus fuit à Patriarcha, Monachorum memoratæ insuper propositionis professionem exigentium instantia repulsa. Hic autem mirari rursus liceat tuas illationes ac consequentias acutissimas. Eecum tuum enihymema: *Patriarcha Victorem ab intentatâ hæreseos crimine absolvit: ergo Patriarcha iudicavit Monachos hæreticos, aut hæresis fautores.* Ita ex tuâ Dialecticâ iterum accusator mutatur in reum, absolvere perinde est ac condemnare, instantiam non admittente idem tibi videtur ac hæreseos damnare. An hic quoque finges in alio à recitato iudicio Monachos à Patriarcha damnatos? Excute omnes scriptas eâ de causâ Epistolâ, nusquam aut vola, aut vestigium alterius peracti à Patriarcha iudicii, aut late contra Monachos hæreseos convictos sententiæ, apparebit.

Enimverò si accuratè & attentè, uti de his scripturum decebat, Dioscori literas legisses, nusquam imaginarium illud iudicium à Patriarcha contra Monachos pronuntiatum, finxisses. Appellas paginula 9. Suggestionem à Dioscoro per Eulogium ad Pontificem missam post 67. Epistolam Hormisdæ. Eja ago, legamus ab exordio Suggestionem, qua narrat, se literas accepisse: *in quibus, inquit, significastis intentionem Monachorum Scytharum, & quomodo visum fuerit Apostolatu vestro Episcopo Constantinopolitano causam delegare, ut ipse inter eos, & qui ab eis impetrantur, audiret.* Data est Epistolâ Idibus

Ostobris

Octobris Anno 520. Monachis Romæ quartum jam mensem agentibus. Quid *illationes ac consequentia* mirificè abs te laudantur, ut hac saltem amica tibi arte placeam, hocce formo enthymema: Hormisdas Pontifex deliberaverat causam Monachorum delegare Patriarchæ C-P. igitur Monachi neutiquam fuerant hæresis damnati ab eodem Patriarcha. Antecedens est Hormisdæ teste ejusdem Legato Dioscuro; consequentia in utroque foro est evidens. Nam nunquam delegatur causa Judici, à quo fuit reus antè damnatus, cum facta appellatione prior iudex velut in reum demutetur; est enim appellatio *suffragium necessaria defensionis* Cod. Theod. de Appellat. L. 22. & *juris remedium*. L. 15. & *indicatum quod displicet, appellatio excludit*. Ibid. L. 5. de *jurisdictione*. Hinc in Ephesino latrocinio Elpidius Comes dixit: *Sacratissimus Imperator implens ipse primum ordinem legum, quarum est & inventor & custos, præcepit eos, qui dudum iudices fuerunt, in loco eorum esse qui iudicandi sunt*. Nam in retractorio iudicio discutitur sententia prioris iudicis, à quo facta est provocatio. Cum S. Athanasius à sententiâ Episcoporum Synodi Tyriæ & Antiochenæ ad Julium Pontificem appellasset, hic in Epistolâ ad Alexandrinam Ecclesiam de iisdem Episcopis ait: *Ac proinde eos hortabamur, ut iudicio se sisterent, & si possent, accusationis causam certis documentis peragerent*. Itaque Monachi non fuerunt hæreseos damnati à Patriarcha, aliàs Hormisdas nequaquam de illorum causâ delegandâ cogitasset Patriarcha longè illis ob factam appellationem infestiori. Verùm cum in tot literis nusquam mentio fiat appellationis, nulla planè intervenit; undè palam colligitur, Patriarcham nullo in iudicio declarasse Monachos hæreticos aut hæresis fautores. Et hi quidè apud Hormisdam conquesti sunt de Victore ab illatâ hæreseos notâ à Patriarcha absoluto, & iterùm causam Romæ discutiendam esse dicebant. Hæc non erat appellatio, sed querimonia de sententiâ Patriarchæ. Appellationis ac querimonie discrimen habes in laudato titulo Cod. L. Si nominatus. Vide l. 17. ff. de minoribus. Hormisdas Epist. 67. rogat Justinianum, ut impetret ab Imperatore, Romam dirigi Victorem, *cujus fidem*, inquit, *hi ipsi Monachi vehementer accusant*. Quare Monachi instabant, ut causa Victoris retractaretur, nec ullum verbum legitur de latâ contrâ ipsosmet à Joanne Patriarcha sententiâ. Videsne Victorem tanquam reum Romam evocatum; Monachos verò esse Romæ quoque accusatores; ubi Victori probandum fuerat, Catholicam se fidem profiteri, nullo incumbente onere Monachis excutiendæ abs se hæreseos notæ sibi ipsis à Patriarcha iudicio publico inultæ? Hæc si semel iudicio tantùm non callido perpendas, nullus dubito, quin fateare, penes tua tantùm phantasmata reperiri posse iudicium, quod contrâ Monachos hæreticos à Patriarcha C-P. peractum pronuntiaſti.

III.

Monachi Scythæ non fuerunt uti hæretici condemnati à Legatis Pontificiis.

A N O N Y M U S.

Tertid. Legati Apostolici numero quinque, viri omni exceptione majores, è quibus duo sanctitatis præcipuâ laude florebant, Scythas velut Eutythianorum foederatos anathemate percule- runt, de quibus ita scripsit ad Hormisdam: (Rogamus, ut consuetâ cautelâ, & qua solet Do-

minus noster vigilantia cogitetis, & quomodo suspendendi sunt, qui à nobis taliter recesserunt, & à nostrâ communione fuerunt separati, & quid eis respondeatur, vel quomodo eorum Capitula repellantur; quia eos omnes Constantinopolitana exhorret Ecclesia).

R E S P O N S I O.

Hæc omnia dilucidè enarravimus cap. 5. Dissertationis superioris. Legati nullam sententiam de hæresi contrâ Monachos pronuntiarunt, sed tantummodò eorum instantiam repulerunt, quâ contende- bant, thesim de uno ex Trinitate libello professionis fidei inferendam esse. Voces *quomodo suspendendi sunt*, ex autographo Vaticano ibidè emendavimus, reponentes: *suscipiendi sunt*. Non Legati Monachos Ecclesiasticâ communione privarunt; sed ipsimet Monachi simplici dissociatione à Legatis semet separarunt, cujus dissociationis citrà anathema exempla ibidè laudavimus. Monachi quatuordecim circiter menses Romæ degentes, cum Hormisdæ Papa *communicasse à Maxentio dicuntur*. Et Pontifex Epist. 67. scribit: *Significamus Scythas Monachos allegasse plurima, quæ nos relinquere indiscussa non possumus*. Ecclesia Constantinopolitana initio eosdè exhorruit, non tanquam hæreticos, sed uti homines litigiosos, inquietos, & ed etiam molestiores, quod non de re ipsâ, sed de verbis tot inter Catholicos turbas excitabant; siquidè ubi alii *unam personam de Trinitate dicebant*, illi *unam de Trinitate* tantâ obstinatione asserendum esse contende- bant, ut refragantes Nestoriani erroris insimularent, uti diximus cap. 10. ejusdem Dissertationis. Quod verò ad Legatorum Epistolam provocasti: Videsis, an non Monachos ab hæresi absolvant: *Quia*, inquit, *& nos antè Imperatorem, & antè Senatum hæc indicavimus, dicentes: Extrâ Synodos quatuor, extrâ Epistolas Papa Leonis, nec dicimus, nec admittimus; quidquid non continetur in prædictis Synodis, aut quod non est scriptum à Papa Leone, non suscipimus*. En tibi sententia illâ in causâ dictâ à Legatis coram Justino Augusto ac Senatu. Recusarunt in fidei canones referre propositionem, de uno ex Trinitate passo, quod unum Monachi importuni, arrogantes, pervicaces, non tamen hæretici, urgebant. Addunt Legati: *Quoniam hæc illi nituntur asserere, eo modo sibi satisfacere cupientes, UT PROFITEAMUR ET DICAMUS unum de Trinitate passum esse, quod nec Patres, nec Synodi dixerunt*. Hic totius erat status quæstionis, controversiæ cardo, ac litis contestatio. Una illa propositio in congressu Legatorum ventilata fuit. Monachi non tanquam cuiuspiam hæreseos rei illi iudicio stitere, sed ut actores ac petitores. In iudiciis reus debet iudici satisfacere, sive crimen diluendo, ut innocens absolvatur; sive convictus, admissi criminis penas dando. At enim eo in iudicio Monachi volebant, ut Legati sibi satisfacerent, profitentes, ac dicentes sibi similiter, *unum de Trinitate passum*. Hinc vides Monachos actores, Legatos verò non quidè reos, sed adversarios contrâ Monachos contententes, ac constantè turbulentis, audacibus, temerariis, non autem hæreticis Monachis satisfacere negantes, in eâ propositione tanquam necessariò Catholicæ fidei dogmate, comprobandâ. Præterea Legati hæc ibidè Hormisdæ scribunt: *Nobis quod visum est scripsimus: in vestrà potestate est deliberare, quod vobis Deus imperaverit*. Significant quam sententiam eâ in causâ tenuerint. Ipsam tamen causam

ex integro Hormisdæ iudicio terminandam dimitunt. Non erat igitur ea causâ de damnatâ quâpiam heresi Monachorum, sed de thesi adiaphorâ, quæ ex integro poterat ab Hormisdâ, Deo inspirante, discuti, ac definiri. Evanescit igitur heresis Monachorum à Legatis Pontificiis confixa. Nulla ibidem contrâ eisdem anathematum fulmina vibrata sunt. Et à gestis per Legatos, omnibusque signatis eâ ætate tabulis exclusus, cogere conjecturas aut longinquius arcessere, aut de proximo, quoddam mente tibi fingis, admovere, quod hæc tua opinio de Monachis Scythis à Legatis Pontificiis prædamnatis, tenui quadam verisimilitudinis larvâ apud imperitos fidem inveniat.

A N O N Y M U S.

E Quidem Norisius testimonium rejicit Dioscori, quem licet Hormisdæ unice carum ob rerum agendarum peritiam, ac doctrinâ copiam, ac conflato contrâ Bonifacium schismate, *intra paucos dies*, ultore Numine, *ais fuisse extinctum, ut ex his aperte intelligatur*, inquit, *quem hominem Monachi accusatorem habuerint*: Ipsa retuli verba Norisii, sed quæ planè injuriosa sunt Romanæ Ecclesiæ, sanctoque Agapeto, qui simul ac in Petri sedem fuit evectus, coacto eo sine Concilio, Dioscori memoriam à calumniâ liberavit. Do verba Anastasii in Agapeto: *Hic in ortu Episcopatus sui libellos anathematizatis, quos invidi & dolo extorserat Bonifacius à Presbyteris & Episcopis contrâ canones contrâ Dioscorum, in medio Ecclesiæ, congregatis omnibus, incendio consumpsit, & absolvit totam Ecclesiâ invidiâ peridorum*. Ecce quo in numero Norisius habet canonica Ecclesiæ Romanæ ac sanctissimorum ipsius Pontificum iudicia, Dioscorus S. Hormisdæ unice carus, à S. Agapeto à calumniâ vindicatus, de Romanâ Ecclesiâ cumulativè meritis, doctrinâ copiam, rerumque agendarum peritiâ insignis, quia Scythas accusavit, homo improbus Norisio, ac planè scelestus est: Scythæ verò ipsi à propriis Episcopis, à Patriarcha, totâque Ecclesiâ civitatis Constantinopolitana, à Legatis sanctæ Sedis, ab Hormisdâ summo Pontifice, à Clero, populoque Romano inter Eutychianos recensiti, eoque nomine in horrore habiti, homines sunt in fide irreprehensibiles, imò sanæ de Incarnatione doctrinæ vindictes quia Faustum velut Semipelagianum habuerunt. Pag. 11.

R E S P O N S I O.

B Ellè rhetoricarum amplificas, exaggeras, ac verborum copiam pagellam impleas, cum rebus destituaris, ita ut Laconicum illud tibi cogar reponere: *Nihil es præter vocem*. Ubi nam Dioscorus homo improbus ac planè scelestus Norisio est? Tuas hæc voces resorbe, ac à me rem teneto. Mortuo Felice IV. cum major pars Cleri Romani Bonifacium II. elegeret, Dioscorus homo Alexandrinus, multorum suffragia pecuniâ redimens, Pontificatum invasit, quem tamen die 29. unâ cum vitâ amisit. Bonifacius mortuum in schismate Dioscorum anathemati subiecit. Imperantis id temporis Justiniani testimonium in publico Edicto contrâ tria Capitula produco: *Super hæc autem omnia quis ignorat ea, quæ nostris temporibus in Ecclesiâ antiquioris Romæ contrâ Dioscorum acta sunt? Qui cum nihil in fidem peccasset, tamen propter solum Ecclesiasticum ordinem post mortem ab eadem sanctâ Ecclesiâ Romanâ anathematizatus est, videlicet, propter causam pecuniarum, ut ibidem subiecit*. Quæ etiam

Benignus Episcopus Heracleæ recensuit in Synodo V. Collat. V. pag. 481. ult. edit. qui addit: *Et hoc sciunt omnes, qui degunt Romæ, & maxime qui in dignitatibus existunt, qui etiam eidem Dioscoro communicatores permanserunt usque ad eius mortem*. Itaque constat Dioscorum ambitione ductum, malis artibus, schisma conlasse, qui cum die 29. extinctus fuerit, tam citam mortem Norisius ultore Numine contigisse affirmavit. In tuis tantum scriptis Dioscorus improbus ac scelestus legitur, cum ea epitheta in libro Norisii minimè appareant. Rursus constat Dioscorum post mortem anathemate damnatum fuisse. Ac Agapetus latum à Bonifacio decessore contrâ illum anathema reprobavit, quod Gelasii Papæ sententiam secutus, putavit non posse contrâ hominem jam vitâ functum, anathema pronuntiarî; cujus sanè facti nullum antea in Romanâ Ecclesiâ exemplum præcesserat. Hic te volo, qui ais: *Ecce quo in numero Norisius habet Canonica Ecclesiæ Romanæ ac sanctissimorum ipsius Pontificum iudicia*. Viden' uti tuos in casses temet infecerit conjicias, quibus Norisius nullatenus constringi potest, quippe qui hoc tantum de Dioscoro scripsit, conlasse schisma, ac 29. die ultore Numine extinctum. Bonifacius II. censuit se posse Dioscoro quamvis demortuo, anathema infligere. At Agapetus judicavit Dioscorum jam defunctum, nullo posse anathemate percelli. Hinc Bonifacius damnat Dioscorum. Illinc Agapetus Dioscorum absolvit. Qui Norisium læsæ infallibilitatis Pontificiæ totâ opellâ infimulas, edisserere uter Pontifex erravit: damnans mortuum, an mortuum absolvens? Tibi dicitur Dioscorus à S. Agapeto à calumniâ vindicatus. Igitur calumniator tibi erit Bonifacius II. qui anathematis calumniâ mortuum Dioscorum oneravit. An non tuismet retibus implicaris? Inunc, ac clama Norisium protulisse verba, quæ planè (Hui, etiam planè!) injuriosa sunt Romanæ Ecclesiæ sanctoque Agapeto. O Superi mitem animum! Ecquænam horrenda Norisius dixit? Dioscorum, inquit, *conflato contrâ Bonifacium schismate intra paucos dies ultore Numine fuisse extinctum, ut ex his aperte intelligatur, quem hominem Scythæ Monachi accusatorem habuerint*. Nonne verum est Dioscorum erogatâ pecuniâ, schisma conlasse? An non pariter verum illum brevi extinctum, penas excitati schismatis dedisse? Denique num æquè verum est ab hoc Dioscoro Scythas Monachos apud Hormisdam accusatos fuisse? Unde, quæso, unde serupuli injuriarum eâ narratione illatarum Romanæ Ecclesiæ, ac S. Agapeto, tibi erumpunt? Unus tu ille homo es, qui ea tela contorques, quæ veritatis umbone repercussa, in tuummet caput impetu validiori resiliunt. Agedum qui nobis narrasti damnatum anathemate Dioscorum à Bonifacio Papa, eundemque à successore Agapeto absolutum, de quibus nec verbum quiddam fecit Norisius, infallibilitatem Pontificiam in iudicando contraria, illasam ostende. Unum huic profecto difficultati, qui eo in argumento unice versabare: verbum impendendum fuerat, qui tanto verborum apparatu contrâ Norisium declamabas. Scito illud iudicium non pertinere ad dogma fidei, sed ad disciplinam. Scito eâ de re varias fuisse in Ecclesiâ sententias. Scito denique Synodum V. post accuratam totius controversiæ discussionem, damnato diu antè demortuo Theodoro Mopsuestensi, Bonifacii II. sententiam approbasse, quam postea Romana Sedes contrâ defensores tritum Capitulum invictâ constantiâ defendit. Cantilena, quam recantas, de Scythis à propriis Episcopis, à Patriarcha,

Legatis Sanctæ Sedis &c. inter Eurythianos recensitis, jam Lectoribus delicias dudum factas, instaurat.

I V.

Hormisdas Pontifex nullius hæresis Monachos Scythas damnavit.

A N O N Y M U S.

Estat audire S. Hormisdam suo ac totius Ecclesie nomine loquentem. (Et recitata parte Epistolæ ejusdem 70. ad Possessorem, hæc addit) Vos appello, Reverendissimi Censores, ex vobis scire cupio, Catholicine, ac fidei vindices habiti olim ab Ecclesiâ fuerint, quos (en tertio eadem canticena) sui primùm Episcopi, deinde Constantinopolitana Ecclesia, simul Apostolici Legati, ipseque summus Pontifex anathemate percellunt, ac vitandos declarant, velut Christianorum omnium adversarios, veneno quod viscera sua penetravit plenos, eò usque tumoris elatos, ut ad arbitrium suum (in materia fidei) utriusque Orbis puent inclinandum esse judicium. Quis de Orthodoxis loquatur in hunc modum? &c. Pag. 13.

R E S P O N S I O.

Romani Censores, quos appellas, si quo te responso dignarentur, mirari se dicerent, quòd res notissimas aut nescias, aut certè dissimules. Nam aliud est loqui Pontificem per rescriptum privatum; aliud eundem ex Cathedra decernere. Hoc altero modo nomine totius Ecclesie loquitur. Illa ad Possessorem erat Epistola privata, quâ interroganti se Episcopo privatim respondit. Illa tamen Epistola ab universâ postea Ecclesiâ laudata est, ut patet ex literis Synodicis Episcoporum Africæ in Sardinia exulantium. In eâ verò Epistolâ nulla Monachorum hæresis nominatur, nulla configitur. Sed turbulenti tantum eorundem mores, novarum questionum cupido, veterum Auctorum contemptus, genium inquitum, ingenium turbidum, ferox, ac violentum acri reprehensione perstringitur. Legerunt appellatam abs te Epistolam Theologi gravissimi & eruditissimi, Petavius, ac Thomassinus, nullam in eadem hæresim Monachorum damnatam adnotare poterunt. Hæc Petavius lib. 5. de Incarnat. cap. 2. num. 2. scribit: Quocirca nihil in eorum facto atque scriptis aliud culpes, nisi inconsultam rationem, ac precipitem ardorem inculcanda novitatis, inemptive potius, nimèque necessariæ, quam aut callide, aut errore contaminata. Nam & Hormisdas Papa in Epistolâ ad Possessorem Africanum Episcopum, nullam aliam notam illi subscribit, præter istam temerariæ novitatis, contumacia, ac superbia; ac statim laudata abs te Hormisdæ verba recitat. Huic concinit Thomassinus Dissert. 18. in Synodos num. 5. pag. 594. ubi non obiter, sed accuratè hoc argumentum discutens, ait: Agitur à Possessore Episcopo Africano Constantinopoli agente, & à Monachis Scythis Romam profectis, eâ de re Hormisdæ consulabatur. Rescripsit verò ille Possessori ea, quibus non falsam, sed novam propositionem aversebatur; ejusque vindices non ut errori, sed ut curiositati, & rixandi libidini implicatos objurgabat; & pariter repetit fragmenta illius Epistolæ. Quis autem nisi stupidus aulit asseverare duos hosce testes, qui in Patribus habitabant, & ex assiduâ illorum lectione intelligentia volumina elucubrarent, in laudatâ Hormisdæ Epistolâ nullum damnatæ hæreseos vestigium observare potuisse, quam tamen nullius nominis ho-

mo circumspectator, ut ait Plautus, cum oculis emissis adverterit? Illosne oculi, an intelligentia, an fortè fides defecit? Hi sanè, quod Ecclesiasticam eruditionem attinet, habent suffragium primæ sententiæ, in quam tu quoque, si vis sapere, raptim pedarius curras. Quòd si Hormisdæ Epistolam, ut Augustini lib. 4. contra Jul. oper. post. cap. 46. verbis utar, non vis intelligere, aut si te fingis non intelligere; noli obstrepere valentibus, ac valentibus intelligere.

Monachi per menses circiter quatuordecim Romæ degerunt cum Hormisdæ Pontifice communicantes; non ergo erant Hæretici. Hormisdas Epist. 67. significat Justiniano Scythas Monachos allegasse plurima, quæ nos, inquit, relinquere indiscussam possumus. Et paulò post: In quorum allegationibus cum Legatis remeantibus, competenter fuerimus instructi, si quid reprehensione dignum cognitio nostra repererit, necesse est, ut circa eos teneamus Ecclesiasticam disciplinam. Itaque Hormisdas, priusquam Monachorum causam discuteret, Legatorum in Urbem reditum opperiebatur. Interim nondum ullâ ob hæresim censurâ perculsi fuerant; hæc enim omnium maxima est, quæ Ecclesiastica disciplina rigore infligatur; quâ tamen disciplinâ se usurum dicit, ubi fortè in cognitione causæ Monachi erroris convicti fuerint. At illi ante Legatorum adventum, judicii petitione ultrò renuntiatâ, ex Urbe secesserunt sinè ullo ab Hormisdæ accepto responso. Jam verò actor pleno jure potest ab intentatâ lite, ac petitorio judicio recedere. Illi tamen in culpâ fuere, quòd obligatam Hormisdæ fidem infregerint, tumultum in plebe excitare conati fuerint, ac libellis Imperatorum statuis affixis, contra firerint protestati. Fuga, Amice, non facit hæreticum. Quis enim S. Hilarium Arelatensem, quòd contra semet proximè proferendâ à S. Leone Magno sententiâ, se arreptâ ex Urbe fugâ, subtraxit, hæreticum nuncupavit? Jam nobis ediffere, quando, ubi, à quo Monachi pronuntiati fuerint hæretici? Quâ Vaticani parte anathematis fulgor intonuit, ac fulmen in Scythas decidit? At reclamas: quos sui primùm Episcopi, deinde Constantinopolitana Ecclesia, simul Apostolici Legati, ipseque summus Pontifex ANATHEMATI percellunt. Liceat mihi Poetæ carnem invertere: 2. Metam. V. 308.

Undique das tonitrus, vibrataque fulmina jactas. Sunt, ut Plinii voces lib. 2. cap. 43. reddam, bruta fulmina & vana; nempe hominis quaquaversum contra Monachos anathemata fingentis inania phantasmata.

Reponis Hormisdam ex Apostolo 2. ad Timotheum cap. 3. vocare Monachos homines sui tantum amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; itaque esse vitandos. Quæ verba inquis ab antiquis de hæreticis tantum intelligi. Ita est. Sancti Patres passim ea verba prout jacent in laudatâ Epistolâ, de hæreticis intelligunt. Etenim Apostolus post pessimas quasque notas hæreticorum, vocat illos: voluptatum amatores magis, quam Dei; habentes speciem pietatis &c. & antea illos dixerat homines se ipsos amantes. At cum cæteras notas Hormisdas omittat, non hæreticos, sed viros Catholicos sicut tantum opinionis amatores, speciem quidem pietatis in Monasticâ tunica præferentes, sed animo virtutibus vacuo, videlicet litigioso, turbulento, præferoci &c. Itâ eadem phrasi usus S. Prosper initio libri contra Cassianum ac sectatores, qui erant planè Catholici, eosdem dicit habentes speciem pietatis in studio, cuius virtutem dissidentur in sensu. Porro Hormisdas tradit Monachos vitandos non tanquam hæreticos,

ticos, sed uti contentiosos, sui que litigiosos Catholicorum mentium pacem turbantes; quemadmodum idem Apostolus in priori ad eundem Timotheum Epistolâ cap. V. 11. ait: *Adolescentiores autem viduas evita.* Quo verbo haud illas hæreticas designavit. Non hac communi loquendi formulâ Pontifices hæreticos damnant, eosque Catholicis vitandos jubent. Monachis non quidem Scythis, sed Scytharum in hac ipsâ causâ adversariis Acemetensibus à Joanne II. damnatis, hæc de iisdem Pontifex scribit Epist. 3. ad Senatores: *Acemetas verò, qui se Monachos dicunt, qui Nestoriani evidenter apparuerunt, Romana etiam eos damnat Ecclesia, à quibus vos propter canonem, qui cum excommunicatis Christianum nec loqui, nec communicare permittit, diligentia pastoralis admonere non desino, ut eorum etiam simplicem colloquutionem vitetis, nihilque vobis cum eis æstimetis esse commune.* Petavius loco mihi superius laudato, attentè considerans damnatis Acemetensibus, probatam fuisse uti Catholicum dogma, defensam à Monachis Scythis propositionem de Christo uno ex Trinitate, hæc ait: *Non est credibile Eutychniana perfidia venenum sub eâ latuisse.*

A N O N Y M U S.

„ **A**T quid disputamus, utrum Scythas pro hæreticis habuerit Hormisdas, cum ipsi ultrò Scythæ confiteantur eo se numero fuisse à summo Pontifice computatos: *Licet eos, inquit Maxentius, publica veritatis conscientia manifestè hæreticos non valeat accusare (Hormisdas) obliquè tamen & callidè hoc vult de eis intelligi &c.*

R E S P O N S I O.

„ **U**bi, amabo, eras, cum tam præposterum iudicium ex Maxentii responsione formabas? Maxentius contra Hormisdas ad Possessorem epistolam infanda quæque per summam impudentiam eructans, cum animadverteret, nusquam ibidem Monachos uti hæreticos pronuntiari, unde vehementiori impetu Auctorem epistolæ invaderet, scribit, illum hæreseos notam non manifestè, sed obliquè ac callidè Scythis impigisse. Vide ne ut tuomet jaculo ille tuus error de Monachis ab Hormisdâ anathemate percussis, juguletur? Siquidem si in eâ epistolâ palam anathemate afflati sunt, manifestè ibidem ut hæretici damnati fuissent; anathema enim in hæreticos publicè tales iudicatos, emittitur.

A N O N Y M U S.

„ **E**X dictis hætenus patet quemadmodum de tot tanque diversis omnium Ordinum hominibus, qui sive in Oriente sive in Occidente Scythas Monachos viderunt, simul eorum scripta omnia perlegerunt, & curiosius collato cum iis sermone mentem ipsorum introspexerunt, nemo non illos hæreticos pronuntiavit. Pag. eadem.

R E S P O N S I O.

„ **Q**uæ tibi patent, cæteros latent. Imò ex hætenus deductis, patet Monachos nec in Oriente, nec in Occidente, nusquam gentium declaratos fuisse hæreticos. Hæc non vanis illationibus, & ductis de longinquo conjecturis, sed signatis antiquitatis tabulis in tanto lumine collocavi, ut id tibi quoque jam patere possit, si tamen quandoque velis sapere.

A N O N Y M U S.

„ **D**E Justiniano, quid respondere curem, nihil est si quidem Norilius ipse Justinianum fate-

„ tur à Papa perstrictum esse quòd in causâ Scythicâ, sententiam mutasset. Pag. 15.

R E S P O N S I O.

„ **E**st quod te doceat Justinianus in Epistolâ, quæ præmittitur 66. Hormisdæ. *Quidam, inquit, asserunt, Christum Filium Dei Dominum nostrum pro nostrâ salute carne crucifixum, unum de Trinitate debere predicari.* Hi erant Monachi Scythæ, quos ibidem nominat, ac commendat Pontifici. Addit: *Quoniam verba videntur facere dissensionem: nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur.* Monachi dicebant: *Unus de Trinitate;* Adversarii Monachorum dicere malebant: *Una persona de Trinitate.* Idem Verbum Filius Dei Patris utrâque dicendi formulâ ab utrisque intelligebatur. Itaque lis tota hærebat in vocibus. At non voces, sed interior intelligentia contra fidem facit hæreticum. Scitè Hilarius lib. 2. de Trinitate: *Nomen nihil habet criminis, quòd sensum non perturbat religionis.* Tunc putas Monachos in quæstione de nomine potuisse pronuntiarî hæreticos, & anathemate fulguriri in Oriente & Occidente?

A N O N Y M U S.

„ **A**D Africanos in Sardinia exules mittunt Scythæ fidei professionem, quam summè suâ intererat Catholicam inveniri, ut post anathema undique in se sive ab Oriente, sive ab Occidente vibratum, aliquos tandem communicatores invenirent. Afri Episcopi, qui de contentionibus in Oriente recens exortis, nihil sciebant, nec fraterdem Eutychniorum sub ambiguis vocibus latenter noverant, Monachorum scriptum probarunt; homines ipsos nec allocuti sunt unquam, nec viderunt, tribus, opinor, exceptis qui literas deferrebant. Quis conferat tale testimonium cum eâ nube testium ex utroque Orbe clamantium Scythas, quos ipsi viderant, audiverantque, esse hæreticos? Pag. 15.

R E S P O N S I O.

„ **I**njuriam Lectori facis, qui tam frequenter cantas, ac recantas: *Ab Oriente, ab Occidente, ex utroque Orbe.* Desine jam tandem talibus. Veteres Aruspices vani futurorum præmonstratores, observabant, num fulmen à dexterâ, vel sinistrâ potius parte decideret. Tu miseros Monachos non cessas & ab Oriente & ab Occidente, dextrorsus, sinistrorsus ex utroque Orbe anathematum fulminibus afflare. Nusquam contra illos tonuit ab Oriente; nunquam fulguravit ab Occidente. Verùm tuorum solummodò sese invicem collidentium serupulorum crepitacula contra eosdem insonuere. Quæ de Africanis Episcopis dicis, te transmissæ ab ipsis responsionis nescium ostendunt. Nam ita illi scripta Monachorum probarunt, ut nullatenus tamen novam illam loquendi phrasim, pro quâ unâ recipiendâ Monachi tantas ubique turbas ciebant, admiserint; sed Hormisdæ similiter pro uno ex Trinitate, unam personam Trinitatis reposuerint. Legestis caput 7. nostræ Dissertationis historicæ, ac discite quæ dicas. Scribis Afros Episcopos nihil scivisse de contentionibus in Oriente recens exortis. Erras. Nam iidem rescribentes ad Monachos insignem Epistolam Synodicam, cap. 17. recitant fragmentum Epistolæ Hormisdæ, quæ, inquit, *consulenti se sancto fratri, consecratorique nostro Possessori rescripsit.* Vide ne illam Epistolam, in quâ, te interprete, Monachi Scythæ ab Hormisdâ anathe-

anathemate percussis sunt, notam fuisse Episcopis Africanis? At isti cum plenâ ejus epistolâ notitiâ, cum Monachis & coram, & per literas, uti patet, communicabant, ac proinde nulla ibidem anathematis fulmina contra Monachos coruscant. Epistola Hormisdæ ad Possessorem scripta est anno 520. Idibus Augusti. Epistola verò Africorum scripta est post mortem Hormisdæ, quem *beatæ memoriæ Antistitem* ibidem appellant, sed cum adhuc degerent exules in Sardinia, nempe anno 523. qui postremus fuit pontificatus Hormisdæ uti & exilii Episcoporum Africæ. Igitur isti Patres ac Catholicæ religionis fortissimi Confessores, gestorum in causâ Scytharum concilii, optimè Hormisdæ epistolam ad Possessorem perspectam habentes, cum iidem Scythis, seu eorundem sociis, tanquam cum Catholicis, per literas communicarent, secus planè facturi, si in eâ epistolâ Scythæ hæretici pronuntiatii fuissent, ac anathemate fulguriti.

Errorem errori accumulâs, dum de Afris scribis: *Nec fraudem Eutycheianorum sub ambiguis vocibus latentem noverant.* Legistine unquam libellum à Monachis ad Africanos Episcopos missum? Quid clarius dici potest pro duabus in Christo naturis adstruendis, quàm quæ Monachi illi cap. 2. 3. 4. & 5. nullâ sinè ambiguitate latentur? An non capite quinto, recipere se dicunt Concilium sanctum ac venerabile, quod apud Calchedonam celebratum est? An non disertè ibidem damna ut Eutychem, Dioscorum, cum sociis eorum, omnesque quos justè ac regulariter Sedes Apostolica condemnavit? An non dicunt: *epistolas quoque beati Leonis amplectimur?* Ubi, ubi notas fraudem Eutycheianorum sub ambiguis vocibus latentem? Cùm Theodorētis Nestoriani erroris suspicione laboraret, in Act. VIII. Synodi Calchedonenis, Patres ei dixerunt: *Dic aperte anathema Nestorio, & qui ea, quæ ejus sunt, sapienter.* Cùm ille aliquantisper tergiversatus, tandem dixisset: *Anathema Nestorio, ac professus fuisset, se subscripsisse epistolæ Leonis Papæ, Judices dixerunt: Omnis jam dubitatio de Theodorēto reverendissimo Episcopo est soluta.* Et universa Synodus acclamavit: *Ecclesia Orthodoxa.* Enim verò Monachi scribentes ad Episcopos Africanos, anathema dicunt Eutychei ac Dioscoro: amplectuntur epistolas Leonis Papæ duas in Christo naturas consentienter. Itaque de illorum fide Orthodoxâ *omnis jam dubitatio est soluta.* An forte in illâ propositione *de uno ex Trinitate observas fraudem Eutycheianorum sub ambiguis vocibus latentem?* Audin' quid cap. 4. pronuntiant: *Itac de causâ Trinitatis etiam post Incarnationis mysterium Trinitas mansit, quia idem Dei Verbum etiam cum propriâ carne, UNUS EST EX TRINITATE.* Et statim: *Quapropter & Deum Verbum passum carne, & crucifixum carne, sepultum carne secundum beatum Cyrillum profiteamur &c.* At Eutycheiani dicebant Verbum non carne, sed divinitate passum, teste S. Felice Papâ Epist. 5. ad Zenonem Augustum. Dicito ubi lateat fraus Eutycheianorum ubi lateant voces ambiguae? Sed nondum errorum finis; siquidem de Episcopis Africanis scribis: *Homines ipsos nec allocuti sunt unquam, nec viderunt, tribus opinor, exceptis qui literas deserebant.* Qui res antiquitus gestas vetulis omnibus monumentis inconsultis, in literas mittit, is non historias, sed fabulas narrat. Hinc haud miror, te hastenus de Africanis Patribus tanta fluxisse, siquidem scripta eâ de re instrumenta, ac vetustos codices nec semel invisens, omnia pro arbitrio fingis, ac refingis. Nam si legisses caput primum libri S. Fulgentii de Incarnatione & Gratiâ, quo unâ cum collegis respondit Mo-

nachis memoratis, hæc tibi statim in oculis incurriscent; *Beatus frater noster Joannes Diaconus à vestra Societate directus, literas, nobis quas missis, habuit, quibus recensitis, vestram simul alacres & FIDEM cognovimus & salutem: imò in agnitione FIDEI vestra nobis salus innotuit.* Africani Antistites qui literas receperunt, testantur unum Joannem ad se à Monachis missum. Tu scribis tres Monachos illam Epistolam ad Africanos pertulisse. Potes quidem scrupulos prout libet, prout lubet, multiplicare. At non potis es, ex uno tantum homine tres homines facere. Interim videas ab Africanis Patribus commendari FIDEM Monachorum, quos tu & hæreticos, & multiplices anathemate damnatos obrudis.

Denique concludis: *Quis conferat tale testimonium cum eâ nube testium ex utroque Orbe clamantium Scythas, quos ipsi viderant, audierantque, esse hæreticos?* Nullus profectò conferat tam splendidum tamque illustre Africanorum Antistitum testimonium cum eâ nube testium, quam tibi met in tuo cerebro addensisti. Testes clamantes hæresim citasti, apud quos ne semel quidem hæresis Monachorum auditur, uti locupletissimè demonstravi. Tantos illos clamores ex utroque Orbe altius resonantes, nec Vasquez, nec Petavius, nec Thomassinus inaudire. Aut illi extrâ Orbem fuerunt; aut in hoc Orbe aurium usum perdidere. Verum cum viri illi præstantissimi in universo literario Orbe optimè audiant, tantus tibi jactatus clamor in imaginariis tantum spatiis insonuit.

S. I V.

Quid illi Scythæ de Hormisdæ senserint.

A N O N Y M U S.

Videamus itaque, Maxentius & sui quomodo acceperint Epistolæ auctorem, quem, latente Norisio, sciebant esse summum Pontificem? Certè, inquit, auctorem hujus Epistolæ hæreticum esse, quisquis ille est &c. Tum Epistolam Hormisdæ malignè interpretantes ajunt: *Nam & ipsi hæretici ad hoc ubique hanc ipsam Epistolam proferunt &c.* Sexcentis in locis eum appellant hæreticum Nestorianæ pravitatis fautorem &c. Neque unius dumtaxat Nestorianæ hæresis summum Pontificem accusant, eum præterea Pelagianum esse contendunt his verbis: *Callidè tuam niteris occultare perfidiam &c.* Pag. 16. 17.

R E S P O N S I O.

Sanctus Augustinus in libro contra Donatistas post Collat. cap. 3. scribit eisdem in magno illo congressu apud Carthaginem dixisse, *nec causam cause, nec personam præjudicare personæ: quod adversus omnes humanas calumnias in ore habet universa Catholica Ecclesia.* Quàm procul abis ab hac sententiâ, dum unius Maxentii verba omnibus Monachis Scythis ascribis. Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. 19. de Maxentio ait: *Ego quidem Scytharum Synœclitiam non fuisse certum existimo; ab illis enim ut extraneus loquitur in responsione ad Epistolam Hormisdæ.* Itaque nec causâ, nec persona Maxentii causæ aut personis Monachorum debet præjudicare. Unus Maxentius eam Hormisdæ Epistolam oppugnavit, ac in singulari personâ semper ibidem loquitur. Tu eandem Epistolam ab omnibus refutatam pronuntias, dum ais: *inquit: appellant: accusant: contendunt.* Pessimam Maxentii causam cum Monachorum causâ communem facis, ac illius personam cum Monachis confundens, unum

unum omnium os, eadem verba, idem crimen exhibes, ut causæ causa, & personis persona præjudicet. Proximè unum Scytharum ad Africanos Præfules Legatum in tres multiplicabas; ac statim unum Maxentium in Monachos plures dispartis, ut univefos unius crimine involvas. Quis unquam quæ scripsit Theodoretus contrà duodecim Capitula S. Cyrilli, imputavit Joanni Antiocheno, Cyro Tyrio, Heliadio Tarfensi aliisque Episcopis Orientalibus, qui pariter Cyrilli Capitula averfabantur? Unius Theodoretæ scripta in Synodo V. damnata sunt, Joannes verò Antiochenus sæpè ibidem laudatus est.

Itaque Monachos Scythas à Maxentio separemus. Illi exclusi in Oriente, petitionem oblaturi Sedi Apostolicæ, Romam transierunt, quo factò monstrarunt ab unâ S. Petri Cathedrâ oracula de fide petenda esse. Quamvis verò Hormisdæ causam compehindante, morarum impatientes, indè recesserint, nulla alia tribunalia ad iis se leguntur, quòd sciebant Sedem Apostolicam esse supremum Orthodoxorum tribunal. Et fortassis Româ aufugerunt, suspicati Hormisdæ post adventum Dioscori ipsis adversantis, decreturum, illam loquendi formulam de uno ex Trinitate, ob vocem ambiguum, ac in uno sensu Eutychanis favorabilem, non debere à Catholicis usurpari, sed pro uno, esse unam personam dicendam, quemadmodum vox Christipara ob Nestorii hæresim desierat in Ecclesiâ usurpari. Quod si semel contigisset, intelligebant causam ita fore deperditam, ut nullus ipsis locus futurus esset reliquus, in quo retractatorum iudicium perageretur. Sed mittamus hæc conjecturas, quibus in rebus ad eâ nostrâ ætate disitis, ac non multum causæ nostræ necessariis, haud vacat indulgere.

Unus ergo remanet Maxentius Scytharum Monachorum advocatus, quo de homine quid Norisius scribat, proximè intelliges. Ille quidem quòd liberius Epistolam Hormisdæ impugnaret, sinit dubium se esse, an illam Romanus Pontifex scripsisset. Tu quidem scribis: *sciebat itaque Maxentius &c. Summi Pontificis Epistolam esse, quam refelleret: imò volebat à cæteris talem reputari.* Hoc alterum falsè asseris. Nam Maxentius disertè scribit: *Quomodo Hormisdas non sibi ipsi reperitur in hac Epistolâ scripsisse contraria? Si tamen non est (quod magis credendum astimo) ab hæreticis ficta.* Et inferius: *Vnde quis facile credere audeat, hanc à memorato viro (ut sæpè diximus) directam Epistolam? Nisi fortè (quod de tanto Antistite credere importunum est) à memorato Dioscoro postea depravatus, contrà suam ipsius sententiam hæc scripsisse credendus est.* Quare ita suspensio calamo de auctore Epistolæ scribebat, ut alteri potius quàm Hormisdæ, eandem adscribendam esse putaret. At veritas non rarè invito puctore erumpit. Maxentius enim ibidem hæc scribit: *Sed absit ut ex qualibet parte Catholica professione Romanus Episcopus contradicat.* Quâ propositione nihil certius nihil constantius dici, tradit Thomassinus disert. 18. in Synodos num. VII. ubi ex illo Maxentii dicto docet inferri: *Nunquam contigisse, nunquam fore, ut contingat, Romanum Episcopum à sententiâ universæ Ecclesiæ deviare.* Hanc præclaram Maxentii pro Romani Pontificis in definiendis fidei dogmatibus infallibilitate sententiam, non testimonii, sed confessionis loco recipio. Haud tamen ex illâ responsione ad Epistolam Hormisdæ Maxentius dicendus est hæreticus, quamvis Epistola hæreticè scripta sit. Quis enim S. Cyprianum dixit hæreticum, cum in Epistolâ ad Jubajanum tanta, ut ait S. Augustinus lib. 5. de

Baptif. con. Donat. cap. 25. in *Stephanum irritatus effudit?* Uno verbo, ut ab invidiosâ comparatione abstineam, si Maxentius ea, quæ ibidem scripsit, obstinatiùs defendit, nec meliori mente dispunxit, homo planè schismaticus fuit: non tamen Eutychanus hæreticus, quod unicè Norisius sibi demonstrandum esse putavit.

S. V.

Quid de illis Scythis statuat Norisius?

Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. 20. scribit: *Monet hoc loco gratitudinis officium, ut stylium ad alia properantem, parumper sistamus, ac Joanni Maxentio, & Scythis Monachis ob egregiè Augustiniano nomini navatam operam, non modò grates referamus, sed etiam vicem rependentes, Augustiniana doctrina adversus Faustum defensoribus necessariam advocatorem commodemus.* Quæ dicta ab Anonymo scrupuloso in reprehensionem vocantur.

A N O N Y M U S.

Primum quæro, Scythis illis quid Norisius debeat, aut quale beneficii genus ab iis acceperit? Non aliud certè quàm quod à Luthero & Protestantibus, qui pariter Augustiniana doctrinæ defensores se profitentur adversus Papæ & papistiarum errores. Pag. 28.

R E S P O N S I O.

Presentium intuitu, ac præteritorum memoria gratum facit, inquit Seneca lib. 3. de Benef. cap. 4. Norisius cum probè nosset, quanto studio ac sollicitudine Petrus Diaconus cum collegis Monachis, ac Scythæ cum Maxentio pro S. P. Augustini doctrinâ contrà Faustum defendendâ, infudaverint, ac dein adverteret eosdem Monachos tanquam Eutychanos nostro hoc sæculo à nonnullis infensari, assertæ olim ab iisdem doctrinæ Augustiniana memoria, ac nunc illis hæreseos notæ intuitu, quòd esse, & haberi vult Augustinianus, pro S. Doctore defenso, eorundem pariter Monachorum defensionem suscepit. Si quispiam patrem tuum ab hostium imperu defendisti, an non ille de te esset benè meritus, ita ut ingrati notam subires, si illi nescio quo casu periclitanti, quod facile posses, subsidium denegares? Eecur S. Fulgentius doctissimus ejus ætatis Antistes Monachorum Scytharum patrocinium suscepit? Audias à Christiano Lupo Professore regio Lovaniensi, in notis ad caput 17. Var. Epist. &c. pag. 138. *Fulgentius enim, inquit, omnino favorebat istis Monachis: quòd ex peiore contrà Pelagianos agerent patrocinia divina Gratia.* Fulgentius eo in studio Norisio lampadem pretulit. Ecquid beneficii à Monachis accepere Vasquez, ac Petavius, ut sociatâ operâ, Monachos ab inusta hæreseos notâ vindicarent? Unius veritatis studio illos sibi defendendos esse duxerunt. Norisius & veritatis, & divinæ gratiæ, ac S. P. Augustini adversus Semipelagianorum insultus defensi causâ, gratias se laudatis Monachis debere professus, qualemcunque potuit, vicem rependit. Satin' hic tibi scrupulus exemptus est? Hæretici non sunt Augustiniana doctrinæ defensores, sed corruptores, ut præ cæteris Turrianus ostendit in Confessione Augustiniana. *Quid autem in hoc miremur? Neque enim melius loqui potuit Augustinus, quàm Propheta, quàm Apostoli & Eoangelistæ, quorum verbis similiter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tam multi hæretici suos defendere conantur errores.* Verba sunt Facundi Episcopi in Libro contrà Mocianum tom. x. Bibl. PP. edit. ult. pag. 109.

ANO.

A N O N Y M U S.

Unde enim habet Norisius Maxentium & suos veram & Catholicam Augustiniano dogmati operam navasse, nisi ex eo libro, in quo aperte pronunciant Adversarium suum, quem summum Pontificem esse scirent, Pelagianæ perfidiæ esse involutum erroribus, & superbissimæ hæreseos spiritu animatum. Hos homines Norisius Augustini defensoribus annumerat &c. Pag. 18.

R E S P O N S I O.

Illam inde habuit Norisius, unde eadem celeberrimi Purpurati Patres, ac summi Scriptores acceperunt. Cardinalis Baronius ex eo libro hæc habet: *Quinam autem colligantur ex Faustis duobus libris errores scriptis S. Augustini & sententiæ Catholicæ adversantes, tu vide illos collectos à Maxentio (attende, unde habet) in responsione ad Hormisdam Pontificem, ubi in pluribus Faustus declaratur hæreticus.* Ad annum 490. Unde habet Cardinalis Bellarminus in lib. de Script. Eccl. V. *Joannes Maxentius de quo ait: Faustum & Pelagianos egregie refellit ex libri S. Augustini.* Unde habet Gabriel Vaquez in 1. 2. disp. 199. cap. 3. scribens: *Sententia Petri Diaconi, & Joannis Maxentii eam in materia de gratiâ & libero arbitrio, quam in damnandis libris Faustii, magis momenti esse debet.* Et disput. 190. cap. 8. num. 73. *Joannes Maxentius & ipse in hac parte Augustinianus.* Et cap. 9. num. 86. ait: *Præbatur primò ex Joanne Maxentio doctrina Augustini in hac parte studiosissimo.* Et in 1. par. disp. 89. cap. 1. de libris Faustii ait: *Eosdem damnat Joannes Maxentius in responsione ad Hormisdam.* Et idem repetit cap. 4. num. 24. Unde habet Petavius, cujus verba, velis, nolis, perhonorifica de Maxentio exscribo, ex lib. 13. de Incarnat. cap. 6. num. 8. *Falsuntur autem (horum unus tu quoque es) qui Maxentium sicut tanquam Eutychem in defectum hæresi culpant, ut ejus elevent fidem. Nam ut in eo minime laudandus est, quod adversus Romanum Pontificem contumaciis se gesserit: sic illius hæresis invidiâ, à qua (audin?) longissime absuit, minime onerandus est.* Et de Petro Diacono scribit tomo 1. lib. 10. cap. 16. num. 7. *Perpicuum est illi scriptori Augustinianam placuisse doctrinam.* Hos præclarissimos Scriptores non testes meos produco, sed appello contra te iudices, ut illis, quam inaudivisti, sententiam pronuntiantibus, mutire, ac ne hiscere quidem contra debeas. Priusquam ad acerbissimam accusationem transeo, insignis error, quem admisisti, mihi emendandus venit. Nam putas ex solâ responsione Maxentii ad laudatam Epistolam Hormisdæ Norisium intellexisse Scythas veram & Catholicam Augustiniano dogmati operam navasse. Erras. Illa responsio unius Maxentii opus est, hominis à Monachis extranei, saltem uti Norisius arbitratur. Nihil cum illâ Monachis est. Hic collatâ operâ librum de Incarnatione & gratiâ accuratissimè elucubratur, ad Episcopos Africanos in Sardinia exules transmiserunt. In tribus ultimis ejus libri capitibus œconomiam divinæ gratiæ exponunt, ac Semipelagianorum præcipuè errores refellunt, & in fine damnant libros Faustii Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lirinensi provectus est. Hujus rei narratio à Norisio prolixè describitur, ac lib. 2. Hist. Pelag. cap. 18. utranque paginam implet, ut non possim non mirari, te nihil horum vidisse eo præsertim loco, ubi versus, imò syllabas in examen severus censor vocasti, ut

ubique copiosior tuorum scrupulorum seges exurgeret. Hic est ille Monachorum Orientalium liber, quem tu §. 3. pag. 15. professionem fidei Scytharum appellabas, & à tribus illorum Legatis ad Africanos Episcopos missum dicebas, quemve Afros Episcopos vocum ambiguitate deceptos, probasse autumasti. Per tuam te fidem, obtestor legitime hunc Monachorum librum? Si legisti, cum ibidem universa divinæ gratiæ doctrina contra Pelagianos eorumque reliquias, juxta S. Augustini sententiam, explicetur, quâ confidentiâ objicis Norisio, quod ex solâ responsione Maxentii ad Epistolam Hormisdæ habeat, Monachos veram & Catholicam Augustiniano dogmati operam navasse? Sin autem librum illum ne quidem semel vidisti, cur audes asseverare in eodem fraudem Eutychemorum sub ambiguis vocibus latentem? Viden' qualis homo sis! Judicas de incognitis: quæ cæteris sunt cognita, nescis. Disce tandem, unde ea habuit Norisius.

A N O N Y M U S.

Hos homines Norisius Augustini defensoribus annumerat, proque Petri successore hæresis Pelagianæ damnato, gratiam se debere profiteretur: aded ut non possint non esse Catholici quicumque pro Augustino, etiam contra Sedem Apostolicam insurgunt. Pag. 18. 19.

R E S P O N S I O.

Memento laudatæ mihi Augustinianæ contra Donatistas sententiæ: *Nec causa cause, nec persona personæ præjudicet.* Ne, quæso, Monachos, horumque causam cum Maxentio suam pessimè causam defendente, confundas, Norisius inter S. Augustini defensores numerat eos Monachos, qui summum ergà Sedem Apostolicam obsequium palam contemnant, hæc ad Africanos Episcopos cap. 5. memorati libri scribere: *His adjicientes Eutychem, Dioscorum cum sociis eorum, omnesque, quos iuste ac regulariter Sedes Apostolica condemnavit.* Videsne, uti Apostolicæ Sedis judicium contra Eutychem hæresis Principes ac sectatores venerentur, atque defendant? Quantum verò in controversiis de divinâ Gratiâ Apostolicæ Cathedræ decretis iidem detulerint, palam faciunt capite ejusdem libri octavo, hanc ex subjectis S. Celestini Papæ Epistolæ capitulis, sententiam repetentes: *Satis sufficere credimus quicquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis esse sententiis contrarium.* Poterantne expressiori asseveratione suum ergà Apostolicam S. Petri Sedem, ejusque successores obsequium profiteri? Damnant cum Sede Apostolicâ omnes Eutychemianos, ac Pelagianos. Damnant tanquam non Catholicum quicquid statutis ab Apostolicâ Sede regulis contrarium appareat.

Scribis: *Proque Petri successore hæresis Pelagianæ damnato, gratiam se debere profiteretur.* Equidem Norisii vicem etiam atque etiam doleo, cum videam illum abs te tam gravi, tamque nefario crimine onerari, ut illi expiando, nedum editi ab ipso libri proscriptio, sed nec ejusdem combustio sufficeret. Uni tibi nomen tuum occultanti impunè licet viro innocenti, aded iniquo ac impudenti mendacis calumniari. Hæc de Maxentio Norisius scribit lib. 2. cap. 19. *Unde omni prorsus modestiâ depositâ veluti in hæreticum furibundus insiliens, mille conviciorum plastra evomit, nempe in Hormisdam Pontificem.* Item:

Insinu-

Inſulare Pontificem bo no petulantis ingenii non veretur, quaſi Pelag'o occultè faveret; verba Maxentii ſunt abſynthio amariora. Præterea: ſed perperam tantum blaſphemæ Hormiſdæ objicit. Et rursus: In quo etiam veteri ſe vitio tenent Maxentius oſtendit. Denique ait: Verum quid ex ſ. Auguſtini dictis in eo libello Fauſtum confutavit, hoc UNICUM encomium à poſteris habuit. Hocceine, mi homo, eſt pro Petri ſucceſſore Hormiſdâ damnato, gratiam ſe debere profiteri? Si te in præſentia tam falſam calumniam Noriſio importantem, dicerem omni depoſitâ modetiâ furibundum; hominem petulantis ingenii; ac tibi verba omni abſynthio amariora, ac tantum blaſphemæ; ac vetus vitium objicerem, putareſne à me tibi gratias referri, ac tot convicia in gratiarum parte reponeres? Noriſius ſcripſit Maxentium ſolummodò ob Auguſtinianam doctrinam deſenſam, à poſteris laudari, uti ex Baronio, Bellarmino, Vaſquio, ac Petavio proximè intellexiſti. Quod verò doctiſſimos Cenſores ſubinde compellas, temet eorundem iudicio ſiſto, ac manifeſtè in Noriſium calumniæ reum poſtulo, dum audeſ coram hoc Sole eidem objicere, quod pro Petri ſucceſſore hæreſis Pelagianæ damnato, gratiam ſe debere profiteretur. Hæc tam falſa, tam acerba, tamque impudens accuſatio nullum tibi ſcrupulum excitat, ut planè mirum ſit, velle te ſcrupuloſum haberi. Credit Judæus Apella.

A N O N Y M U S.

„**M**anifeſtum eſt itaque (Noriſio iudice) Scythas ab omni prorsus errore abſolvi: & Catholicos pronuntiar. Quid quod eoſdem fidei defenſores, & adverſus Eutychanam hæreſim vindices appellare non dubitat? Pag. 19.

R E S P O N S I O.

ITa planè manifeſtum eſt, nec Monachos Scythas, nec Maxentium fuiſſe Eutychanos. Nec ſolus, nec primus id ille pronuntiavit, non enim laureolam in muſtacio quarit. Unus eſt è multis, qui id antea docuerant. Ita enim de Scythiſis iudicaverant Vaſquez, Petavius, Thomaffinus, aliique quorum locupletiffima teſtimonia produxi. Si legiſſes librum Monachorum de Incarnatione & Gratiâ, ſtylum à tam falſâ accuſatione ſuspendens, in contrariam ſententiam pedibus iviſſes. Sanctus Fulgentius cum collegiſ Africanis, qui librum memoratum diligenti & accurato examine diſcuſſerunt, poſt præſationem reſcripti ad illos ſub eodem titulo libri, initio cap. 2. ita exordiuntur: *Dicitis itaque, vos juxta ſanctorum Patrum traditionem D. N. Jeſum Chriſtum in duabus naturis unitis & INCONFUSIS, id eſt, divinitatis & humanitatis in unâ perſonâ ſive ſubſiſtentiâ conſiteri.* An non hæc Monachorum profeſſio ab Africanis Patribus laudata, Eutychanam hæreſim jugulat? Lege caput 3. ac diſces, Monachos præclariffimis Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, ac Athanaſii teſtimoniis Neſtorianos unâque etiam Eutychanos convincere. Imò ibidem nobis ſervarunt inſigne fragmentum Malchionis Presbyteri, qui in Concilio Anriocheno contra Paulum Samofatenum totius certaminis ſummâ in ſe ſuſceptâ, hæreticum prævalidâ oratione confutavit, teſte Eusebio libro 7. cap. 29. edit. Valeſii. Gabriel Vaſquez utroque noſtrum planè doctior, hiſce omnibus diligenter perpenſis, tom. 1. in 3. p. diſp. 15. de Incarnat. cap. 3. num. 44. *Qua igitur, inquit, ratione dicemus eos Eutychanos fuiſſe?*

S. VI.

Quid ex hoc Noriſii iudicio conſequatur?

A N O N Y M U S.

„**C**onſequitur primò, homines quos Episcopii ſui, deinde Primas, poſteâ Legatus — Pag. 19.

R E S P O N S I O.

Silicas, quaſo, jam tandem ſileas; hoc enim quod primò conſequi putas, jam ſuperiori ſ. III. minutatim contritum eſt; ſiquidem oſtendi Monachos Scythas nec à Provincialibus Episcopis, nec à Patriarcha, nec à Legatis ſanctæ Sedis, nec ab Hormiſdâ Pontifice damnatos fuiſſe tanquam hæreticos. Relege, & intelliges, quomodo nihil eorum, quæ commiſceris, inde ſequatur. Eodem impulſu ruit, quod alterum conſequi affirmas; nihil enim ſacri iudicis in materiâ dogmatis deſiniverunt, ſed oblatam à Monachis propoſitionem inter fidei canones adſcribere recuſarunt; hoc autem non eſt iudicare, ſed iudicium juſtis de cauſis ſuſpendere. Ferrandus Diaconus qui id temporis vivebat, conſultus ab Anatolio Romana Eccleſiæ Diacono, de illâ quaſtione unius de Trinitate paſſi, reſpondit cap. 11. datæ ad illum Epistolæ: *Undè deſiſtendum à contentionibus reor: expectandum potiùs perſuadens, pati interque hanc dubitationem ferendam, donec uni verſalis Eccleſiæ auctoritate, vel pronuntietur ſuſcipienda, vel prodatur abjicienda.* Nullum ergo eâ de propoſitione iudicium Eccleſiæ protulerat. Hormiſdas iſtantiam Monachorum rejecerat, quod non eſt iudicare, ſed cauſam haud diſcuſſam in medio relinquere. Profectò mirus homo es, qui nolle iudicare, idem putas ac iudicare. Scis theſim de aliquâ Dei dilectione neceſſariâ ad hoc, ut attritio poſſit eſſe diſpoſitio ſufficiens ad valorem ſacramenti Pœnitentiæ, à quibuſdam delatam fuiſſe Apoſtolicæ Sedis tanquam hæreticam, & à Synodo Tridentinâ prædamnata. At Alexander VII. in decreto ſignato die 5. Maij A. 1667. vetuit, ne eâ de controverſâ diſputantes, alterutram ſententiam ullius cenſuræ Theologicæ, alteriùſve injuriæ aut contumeliæ notâ percellerent, donec, inquit, ab hac ſanctâ Sede fuerit aliquid hæc in re deſinitum. Itaque Sedes Apoſtolica iſtantes pro illâ propoſitione damnandâ, repulit, ſive contra illorum votum, rem ſub lite reliquit. Nunquid petitores dampnationis hæreticos appellabis? Quid ſi illi de non impetratâ damnatione conqueſti fuiſſet? Equidem nec tum illi fuiſſent hæretici. Haud ſecùs Monachi non obtentâ approbatione laudatæ propoſitionis, contradiere iudicio non utique deſinitivo in materiâ fidei, uti perperam ſcribis, ſed iudicio ſuſpenſivo, ut ita loquar, iudicii deſinitivi, quod eſt conqueſti de excluſâ petitione, quod citrà hæreſim contigit.

A N O N Y M U S.

„**C**onſequitur tertio, talem eſſe poſſe illum, qui ſummo Pontifici hæreſim penè in faciem exprobrat, ſcribitque eum fuiſſe prævaricatum in materiâ dogmatis, faviſſe errori, doctrinam hæreticam diſſeminari, hæreticum eſſe tam ſuper Incarnationem, quam ſuper gratiâ. Pag. 20.

R E S P O N S I O.

Nec cauſa cauſe, nec perſonis perſona præjudicet. Illa unum Maxentium perſtringunt, extraneum à Monachis, & extraneam pariter cauſam in reſponſione ad Hormiſdam petulantem aggreſſum, quamve Monachi Scythæ haud probaſſe credendi ſunt. Sancti Patres, quos inter Auguſtinus eâ in palæſtra princeps eſt, legerunt Epistolam S. Cypriani ad

ad Jubajanum, & alteram sancti Firmiliani Cæsariensis in Cappadocia Primatis ad Cyprianum, in quarum utraq; S. Stephanus Papa non unâ centurâ notâ signatur; nullus tamen eosdem Sanctos hæreticos appellavit. Ut Maxentius dubitavit, an illa Epistola ad Possessorem Episcopum reapse ab Hormisda dictata fuisset, ita in dubio est, an idem Maxentius re postea cognitâ, dictæ in Hormisdâ prolata, obstinatius defenderit. Ut ut de Maxentio iudices, Monachi Scythæ ac illorum collegæ fuerunt Catholici, eorumque ergâ Apostolicam Sedem obsequium ex libro ad Africanos Episcopos transmissio, proximè ostendi. Cum Monachi Româ Joannem Diaconum cum libello fidei ad Afros in Sardinia exulantes miserunt, Episcopi ab eodem Legato omnia in eâ hætenus causâ Romæ gesta, dubio procul noverunt. Illi etiam Antistites ex Epistolâ Hormisdæ ad Possessorem optime intellexerant tumultus à Monachis legatione fungentibus, ac ex Urbe fugientibus excitatos. At iidem Præsules Africani in Epistolâ Synodicâ hæc Legatis Monachorum Romæ degentibus scribunt post laudatos libros S. Augustini ad Prosperum & Hilarium scriptos: *Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisdæ Sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in Epistolâ, quam consulenti se sancto fratri consecratorique nostro Possessori rescripsit, cum magno præconio Catholice laudis inseruit.* Ex his plura scitu digna colligimus. In primis illam Epistolam scriptam fuisse post mortem Hormisdæ, qui obiit anno 523. mensè Aprilis. Præterea intelligimus post obitum Hormisdæ Orientalium Monachorum Legatos fuisse Romæ. Rursus quosdam illorum diversos fuisse ab iis, qui sedente Hormisda anno 520. id est, antè triennium Romæ turbas excitare frustra conati, inde diffugerant; siquidem in literis Justiniani ad Hormisdam tom. IV. Conc. pag. 1516. vocantur *Achilles, Joannes, Leonius, & Mauriti- us.* At qui libello ad Africanos Episcopos misso subscripti leguntur, nominantur *Petrus Diaconus, Joannes Monachus, Leonius Monachus, & Joannes Lector.* Nec Achilles, nec Mauriti- us hæc leguntur. Cum verò ex libello fidei constet eosdem apud Apostolicam Sedem institisse, pro approbandis thesibus *de uno ex Trinitate; de Christo Composito; ac de B. Virgine verè ac propriè Dei genitrice,* manifestum est eosdem Monachorum, qui in Scythia debebant, causam apud Sedem Apostolicam continuasse. Et sanè qui fieri possit, ut Africani omnia eadem in causâ Romæ antea gesta à Joanne Legato intelligentes, Epistolam Hormisdæ ad Possessorem iidem inculcaverint, qui tam acri reprehensione in eadem perfricti fuerant? Quicquid igitur aut Maxentio, aut prioribus Scytharum Legatis ex laudatâ Epistolâ Hormisdæ opponas, neutiquam ipsorum sodalitati, aut communi Monachorum in Oriente degentium in fide Orthodoxâ præjudicat; eum jam me hoc tibi primum præmonstrante, videas eosdem Scythas etiam post mortem Hormisdæ, novos habuisse in Urbe Legatos, ut sua illa Capitula Apostolicæ Sedis definitione confirmarentur. Hæc tam clara ac dilucida gestorum narratio te prorsus exarmat: omnia abs te contrâ Monachos Scythas, eorumque collegas objecta, in funem redigit, ipsorumque fidem Catholicam ac etiam post datam prioribus Legatis repulsam, interruptum ergâ sanctam Petri Sedem obsequium, luce clariùs meridiana demonstrat.

A N O N Y M U S.

Tale coram Orbe Christiano testimonium ex Urbe pronuntiat sanctæ Romanæ Ecclesiæ

„ Probibliothecarius, cujus auctoritati, si verum est, „ accessisse quinque Apostolicos Censores, qui senten- „ tiam eandem suo calculo comprobent, quis, ama- „ bo, futurus est posthac Eruditorum hominum sen- „ sus? Pag. 20.

R E S P O N S I O.

Constans Eruditorum sensus ac certus inter omnes consensus erit, te imparatum à libris, & inconsultis scriptis Auctorum insignium, nescio quas tantum illationes ac consequentias ex semel uni tibi factâ Monachorum hæreticorum in utroque Orbe damnatione factantem, ad Norisii sententiam accusandam descendisse. Quid ais? *Tale coram Orbe Christiano testimonium ex Urbe pronuntiat &c.* Vah quam grandia nomina sonas Orbis & Urbis! Norisius haud illâ ex Urbe pronuntiat, sed tu elanculum in aliquo si non Urbis, saltem Orbis angulo, eadem tanquam ex sententiâ Norisii consecraria tam concinnè tibi met fingis, ac pingis. Auctor antè annos quatuor ac viginti Patavii in privatâ cellulâ librum elucubravit, qui primum illi aditum ad famam aperuit, quam nonnulli tum editis in vectivis, tum etiam factitatis accusationibus, premere sperantes, mirificè auxerunt, ut non libri eruditio, sed renovata ejusdem discrimina, notumque periculis nomen, eundem longè insigniorem fecisse videantur.

S. VII.

Norisio effugium præcluditur.

Videris jam tibi victoriam ac triumphum canere, dum effugia cuncta Norisio præclusa putas, ne quomam possit te insequentem evadere. Nam tibi met auguraris Norisium objectis abs te perterritum, in fugam se conjecturum, quam tamen quaquaversus tuorum scrupulorum indagine intercluseris. At ille intrepidus stationem & servat, & tuetur; meque jussit succedaneum agere, tuorumque scrupulorum aculeos non tantum habetare, sed prorsus infringere.

A N O N Y M U S.

Uippè aliud est Scythas ipsos universè & absolute prædicare velut omni ex parte Orthodoxos, imò fidei vindices: aliud eorum scripta & quidem ea solum, quæ hodie extant, ab Euty- chianâ hæresi eximere. Ut posteriori duntaxat modo istos defendas, satis est, si doceas, nullam in hisce scriptis propositionem esse manifestè Euty- chianam, & quæ non possit Catholico sensu exponi. Porro id unum in gratiam Scytharum Monachorum fecere Theologi, quos diximus, ut ipsorum verba, satis ostendunt. In quo sanè veteribus non contradicunt, qui Scythas illos pro hæreticis habuere. P. 212.

R E S P O N S I O.

Unum Cochleum abium re quempiam Maxentio five Monachis faventem nominasti. At cum primum Norisius appellavit tot illustres scriptores, non nemo miratus est, te tales ac tantos Scytharum patronos ignorasse. Enim verò si tu semel concedas, nullam in illorum scriptis Eutychianam propositionem notari, causam iidem coram iudice, temet eos absolvente, vicerunt. In Ephesinâ Synodo Nestorii scripta producta sunt, in Calchedonensi Eutychetis, ac Dioscori dicta repetita fuerunt, priusquam illi tanquam hæretici damnarentur. Quòd si nulla hæresis in Scytharum libellis apparet, undè hæretici dicendi sunt? Thomassius, Duhamelius, Dionysius à S. Marthâ Monachos Scythas Catholicos fuisse testantur. Quod verò unius Eutychia næ hæreseos

nota illis inurebatur, ab hac eisdem Vasquez, ac Petavius vindicarunt. Quam verò falsò asferas eos à veteribus pro hæreticis habitos fuisse, superius evicci, omnia tribunalia adendo, in quibus eosdem damnatos esse clamabas. Imò iudicium laudavi sancti Fulgentii & collegarum Præsulum, qui Catholicam Scytharum fidem commendarunt.

A N O N Y M U S.

Proest igitur sine fidei, vel Romanæ Sedis injuriâ, negari quòd Scytharum scripta Euty- chianam hæresim contineant: at verò ipsos etiam auctores ab ejus suspitione liberare qui aggreditur, imò tam strenuos fidei defensores laudat, ut apertè facere videtur Norisius, is supponit primò sensum Catholicum, quem illorum scriptis tribuit, eum ipsum esse, quem isti sibi proposuerunt, Pag. 21. 22.

R E S P O N S I O.

Rem acu tetigisti. Justinianus rogans Hormisdam, ut exortam Monachos inter & alios ex adverso controversiam de uno ex Trinitate, Apostolicâ definitione decideret, scribit in Epistolâ antè 66. Hormisdæ: *Quoniam verba videntur facere disensionem; nam sensus inter Catholicos omnes unus esse probatur. Itaque sensus idem erat, sed verba tantum erant diversa.* Scythæ dicebant; *Unus è Trinitate;* Adversarii malebant dicere: *Una persona è Trinitate.* Maxentius in responsione ad Hormisdæ Epistolam ait: *Unam personam Christum prædicantes, unum ex Trinitate Christum confiteri nullatenus acquiescunt.* Quid ergo fingis Monachos in sensu non Catholico eam propositionem intellexisse? Facundus Hermianensis, qui id temporis vixit, lib. 1. de tribus Capitulis cap. 3. ait: *Nihilque de verbo sit dissidendum; placere omnibus debet, ut unus ex Trinitate, vel de Trinitate crucifixus, pro unâ personâ dicatur.* Intellexistis quid dicant? Dicunt verba fuisse diversa, sed unum eundemque utrorumque sensum Catholicum. Tu verò è contrâ scribis, verba eadem fuisse, sensum verò diversum. Si hoc non est aut turpiter falli, aut dolosè fallere, quid est?

A N O N Y M U S.

Secundò, nihil aliud ab his scriptum fuisse, quòd hæresim magis saperet. Tertio, nihil eos in privatis sermonibus inter suos Symmistas docuisse, nisi quòd scriptis illis publicis continetur. Pag. ult.

R E S P O N S I O.

Ubinam gentium, ubi terrarum te esse putas? Judex, mi Doctor, juxtâ allegata, & probata sententiam pronuntiat. Vasquez, dein Petavius, & eorundem exemplo Norisius Monachos Scythas ex ipsorummet scriptis, quæ extant, nullâ Eutychni erroris lue infectos fuisse monstrarunt. Cardinalis Baronius ex ipsismet illorum scriptis eosdem in memoratâ hæreseos suspitionem vocavit. At tu eos hæreticos inclamas ex scriptis, quæ non extant, & ex familiaribus, iisque cum Symmistis secretis sermonibus, id est, ex iis quæ de ipsis post duodecim sæcula imaginariis, ac pro arbitrio comminiferis. Hoc, si sapias, non est conscientie, uti jactas, scrupulosæ, sed iudicii temerarii, cujus in iudicio non modò nulla ratio habetur, sed à Theologis ac Philosophis moralibus vitio vertitur, ac damnatur. Finge tibi, causam hanc discuti coram Censoribus, quibus tuos scrupulos inscripsisti. Norisius ex Monachorum scriptis quæ extant, probat Monachos nihil Eutychni erroris tradidisse, imò eosdem Synodum Chalcedonensem ac S. Leonis Magni Epistolas recepisse; damnasse verò (quæ illorum sunt

verba) *Eutychni, Dioscorum cum sociis eorum omnibusque quos iussit, ac regulariter Sedes Apostolica condemnavit.* Tu verò eosdem Eutychniani accusans, citas scripta quæ non extant, & quorum nusquam mentio habetur; citas secreta illorum colloquia, nullo tibi eadem aut proditore, aut exploratore indicante. Quam, quæso, sententiam Censores doctissimos pronuntiaturos putas? An fortè appellabis testem *totam antiquitatem?*

A N O N Y M U S.

Quarto, denique nihil in his libellis contineri, quòd aliunde fidei Catholicæ principii repugnet. Hæc sunt, inquam, quæ necessariò involvit Norisiana pro Scythis apologia: idque nihil aliud est, quàm totam antiquitatem, quæ illos pro hæreticis habuit, ut vidimus, calumniæ accusare. *Ibidem.*

R E S P O N S I O.

Jam divinabam, te *totam Antiquitatem* uni tamen tibi nudius tertius cognitam, appellaturum. Monachi libellum de Incarnatione & gratiâ, uti dicebam, Patribus Africanis miserunt, hæc cap. 1. præfati: *Undè suppliciter petimus, & obsecramus beatitudinem vestram, quatenus diligenti examinatione, ea quæ inferius continentur, discutientes (ut decet verissimos & intrepidos Christi prædicatores) scriptis sententiam vestram nobis patefacere jubeatis, ut si Deo præstante, Catholica fidei conveniens, & Apostolicis traditionibus nostra apud vos (sicut non dissidimus) fuerit comprobata &c.* Præsules Africani S. Fulgentio Episcopo omnium eâ ætate doctissimo, ejus libelli examen, & ad Monachos rescripti remittendi onus injunxerunt. Ille verò libellum Monachorum Orthodoxæ fidei undequaque conformem esse affirmavit, idque reposito sub eodem titulo, volumine publicavit. Nullus hæstentis in eo Petri Diaconi ac collegarum Monachorum libro quiddam à Catholicæ fidei puritate dissonum invenit, sed omnes communi consensu eundem Petrum ejus tantum libelli gratiâ, inter ejus sæculi Patres sive probatos Scriptores, cum laude numerarunt. Nam Suarez Proleg. 6. de Gratiâ cap. 6. num. 26. ait: *Fuerunt autem illi Africani ad scribendum rogati à Petro Diacono cum aliis viris (nota) Catholicis Orientalibus, qui ex Oriente Romam missi fuerant &c.* Ubi cum librum à Petro ac collegis scriptum nominasset, ait: *In ejus tribus ultimis capitibus vehementer exagitat Semipelagianos, ut in superioribus attigimus, & veram de gratiâ doctrinam sapienter exponit, idemque inter graviores antiquos de gratiâ Scriptores hic Petrus numeratur.* Didacus Ruiz in doctrinâ Patrum summâ cum laude versatus, disput. 11. de prædest. sect. 1. num. 8. scribit: *Denique cum tres Patres, Prosper, Fulgentius, & Petrus Diaconus doctrinam Augustini de prædestinatione profiteantur &c.* Petavius tom. 1. Dog. Theol. lib. 9. cap. 16. num. 7. de eodem Petro ait: *Perspicuum est illi Scriptori Augustinianam placuisse sententiam.* Videtis Vasquez in p.p. disp. 91. cap. 11. num. 78. & 1. 2. disp. 199. cap. 3. num. 13. & alibi. Dum verò appellas contrâ Monachos *antiquitatem, quæ illos pro hæreticis habuit*, haud fidem invenies, qui ignorasti, quid de iisdem senserint tot recentes Scriptores, qui longè meliùs quàm tu, perspectam antiquitatem habuerunt, ob hujus enim notitiam Petavius ac Thomassinus de Dogmaticâ Theologiâ benè meriti sunt. Quàm verò præposterè Monachos uti hæreticos anathemate percussos dixeris à Primatè, à Patriarcha, à Legatis Apostolicis, ac demum à Pontifice Hormisdâ, sigillatim ostendi, ut jam tota tam sæpè tibi decantata antiquitas, mustea tantum opinio sit, quàm nuperrimè expressisti.

DIS-